



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Liber Sextus De firmitate Canonum, & libertatum Ecclesiae Gallicanae,
occasione tertiæ propositionis Comitiorum Cleri Gallicani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBER SEXTUS

De firmitate Canonum, & libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, occasione tertiæ propositionis Comitiorum Cleri Gallicani, scilicet.

Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesiâ Gallicana recepta, Patrumq; terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

CAPUT PRIMUM.

Summarium propositionis examen.

1. **P**otestatis usum non potestatem ipsam summi Pontificis moderandam censent Illustrissimi Antistites: quia nimirum auctoritati à Christo ipso collatæ solus qui contulit potestatem ponere, ac limites præfigere. Sed videtur quemadmodum potestatem, ita & potestatis usum, solus qui concessit posse moderari, nisi eam facultatem alteri permiserit, quæ facultas cui, quando, quatenus sit indulta, ignoramus. Scimus quidem inesse Apostolicæ Sedis, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut habet secunda propositio, sed à quo

312 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
quo possit illius potestatis usus impediri, ac ligari; unde
habemus?

2. Docent Illustrissimi Præsules, id fieri debere *per Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos*. Absit, ut ego putem debere summum Pontificem Divinas illas, & ubique receptas regulas perfringere; quin etiam ex animo cuperem, ut ad illarum observationem alios adigeret, præsertim in Gallia, ubi, ut notavit Autor libelli Gallico idiomate conscripti occasione rerum in Comitibus Cleri illius Regni tractandarum, vix alia in reviget auctoritas Romani Pontificis, quam in concedenda prætermittendorum Canonum venia.

3. Potestatem igitur Romani Pontificis ad dispensandum super Canonibus agnoscunt Galli, siquidem tam frequenter eam implorant: Usus illius esse moderandum, & nos agnoscimus, idque Ecclesiasticæ disciplinæ, ac consequenter Christianis moribus plurimum conducere arbitramur: sed quia incidunt interdum causæ, ob quas à jure communi, atque à Canonibus, vel à Canonum littera, recedendum videatur, cujus erit tunc temporis dubium solvere? Nec enim pro quibilibet rebus congregari generalia Concilia possunt. Nonne Summi Pontificis, cum Canonum sit non solum custos, & vindex, sed etiam interpret? Itaque vel nulla, vel necessaria, vel dubia erit causa, propter quam prætermittentur Canones: si necessaria vel dubia, pro Papa, utpotè Superiore, judicandum erit, ipsique parendum. Absque ulla verò causa ipsum Canones *spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos* violaturum non existimo: quod si tale aliquid ejus Officiales, tentarent; id unum à Clero Gallicano postularem, ut eâ se ratione gereret erga sanctam Sedem, quâ se habet erga Regem, cum à Regiis Officialibus injuriam aliquam patitur.

4. Non enim minor reverentia debetur in spiritualibus Christi Vicario, quam in temporalibus Principi sæculari; nec minus scandalosum, ac Religioni periculosum est summo Pontifici adversari, prætextu violatorum Canonum, quam societati civili, ac tranquillitati publicæ Potestatibus Mundi resistere, cum injusta exigunt. Sed quàm magis metuedum est, ne qui tam generosè in supremum Pastorem insurgunt,

gunt, quasi Canones violet cum Canonum observationem urget, Principibus Sæcularibus, eorumque Ministris non solum temporalia, sed etiam spiritualia Ecclesiæ jura usurpantibus, ultrò obsequantur, ne dum se viriliter, pro suo Pastoralis officio, atque ad exemplum Sanctorum quamplurimum Antistitum, quos historiæ celebrant, & universa veneratur Ecclesiæ, non opponant. Exemplo sunt concessio Regaliæ non expectato Papæ consensu, ad quem delatum fuerat negotium, quiq; Concilii Lugdunensis Decretum exequendum curabat, & declaratio circa potestatem Ecclesiæ eâ occasione facta.

5. Quas regulas, quos mores, quæ instituta valere contendant Illustrissimi Antistites, non satis capio; quandoquidem illa à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta dicuntur. His namque verbis, nisi fortè Regnum, & Ecclesiæ copulativè sumantur, quod magis crediderim, viderentur, non solum disciplinam Canonicam in Ecclesiis illius Regni vigentem retinere velle, quod quondam præsertim Religionis speciem, sed etiam innumeris abusus, qui contra jura, & libertatem Ecclesiæ à Magistratibus sæcularibus induci sunt, & quæ ecu Regni leges habentur, quales sunt appellationes tanquam ab abusu, judicia criminalia de personis Ecclesiasticis in Tribunalibus Laicorum prætextu casuum privilegiorum, cognitio causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium sub prætextu possessorii, & alia multa, de quibus recurret sermo, ubi de singulis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ capitibus tractandum erit.

6. Sequitur in prædicta propositione; Patrumq; terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata propriam stabilitatem obtineant. Magnifica verba, & prout sonant, obvis ulnis excipienda? Si enim per regulas, mores, & instituta à Regno, & Ecclesiâ Gallicanâ recepta, nihil aliud intelligitur, nisi statuta, & consuetudines Apostolicæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata, æquissimum est, ut propriam stabilitatem obtineant, Patrumq; terminos manant inconcussi. Operæ autem pretium esset statuta ejusmodi, & consuetudines percensere, ac quid, & à quo in illa peccetur notare, promptissimumque remedium apponere.

R r

7. Alio-

7. Alioquin enim nequaquam tollitur suspicio, ne sub honestorum verborum specie occultetur animus sanctæ Sedis Decreta propriis rationibus accomodandi, & quidquid minus commodum visum fuerit, licet aliàs Canonice disciplinæ congruum, & Ecclesiæ utile, respuendi.

8. Quamvis autem non constet quæ sint illa statuta & consuetudines, summo tamen Pontifici opponi intelligimus, & ex temporis circumstantia conjicitur ea esse præsertim, quæ in negotiis superioribus his annis gestis, violata esse querebantur Episcopi. Itaque in hoc libro de potestate summi Pontificis in Gallia, ac de articulis illis præcipuè agemus, in quibus libertates Ecclesiæ Gallicanæ læsæ dicebantur. Aliæ enim illarum libertatum capita particularia tunc tractabuntur, cum percurreretur collectio Petri Puteani, aliorumque illarum defensorum.

C A P U T I I.

De autoritate summi Pontificis in Ecclesiam Gallicanam.

1. **T**Am altè Gallorum animis impressus fuit de suprema Romani Pontificis dignitate, & autoritate sensus, ut posterioribus etiam sæculis, cum eam intra certos terminos concludere conarentur florentissimi illius Regni Scriptores, alii quidem indignati propter incommoda, quæ sibi ex abusu Pontificiæ potestatis accidisse putabant; alii ad tuendam, vel potius augendam Regiam Majestatem, & jurisdictionem: nunquam tamen illam magnificis laudibus non exexerint. Nihil enim illorum libros legentibus frequentius occurrit, quàm Papam esse Christi Vicarium, primum Ecclesiæ Pastorem, successorem sancti Petri, ejus jurisdictionem ad omnes Christiani orbis partes pertingere, aliaque innumera his similia, quæ cum à Gallis proferuntur, avitum, ac ferè ingentum testantur illius nationis erga sanctam Sedem studium, magis fortè quàm modernorum affectum.

2. Quando igitur primum Gallicis Autoribus accidit ut

de-

debitam sanctæ Sedi reverentiam violarent, vel obedientiæ vires infringerent; illuc, ut jam diximus aut indignatione, aut perturbatione, aut nimio tuendæ potestatis sæcularis desiderio impulsæ sunt. Quod enim aliquibus Schismaticorum nomine suspecti sunt, aut inimicorum invidia est, aut Politicorum minæ, ut tanti mali timore perterrita Curia Romana ab imponendis novis, gravibusque oneribus abstineat, aut fortè justus piorum metus, ne, si crescat Pontificiorum mandatorum neglectus, in contemptum transeat, qui à schismate solet non longè abesse.

3. Certè cum Hæreticorum temeritas summi Pontificis Primatui bellum indicere ausa est, hanc, & Præsules Decretis, & Doctores scriptis, & Principes quantum per tempora licuit, armis compresserunt, ut quidquid contra sacram illam potestatem etiamnum aut sit, aut dicitur, Autoribus solis, non toti Galliæ adscribendum sit. Si quis autem hæc gratis dicta existimet, libros de hoc argumento editos legat, præsertim quos in lucem emisit anno 1622. Michael Mauclerus Doctor Parisinus de Monarchia Divina Ecclesiastica, & sæculari Christiana, quos summo Pontifici, & Galliarum Regi dicavit; utque illud Gallorum studium, licet Bellorum, aut schismatis temporibus remissum, non tamen pœnitens intermissum, ab Atavis profectum, & continuâ serie propagatum cernat, percurrat Galliæ monumenta quæ Pater Sirmondus societatis Jesu sub titulo Conciliorum Galliæ, aliique sub eodem, aut aliis titulis collegerunt. Mutuis enim, & Gallorum erga sanctam Sedem obsequii, & summorum Pontificum erga Ecclesiam Gallicanam benevolentia, & existimationis signis plena sunt.

4. Istud autem non in illis tantum advertere licet, quæ tempore profundissimæ pacis, aut ætioris concordia proderunt, sed & in illis, quæ inter contentiones edita sunt. Hincmarus Archiepiscopus Remensis, qui omnium ferè primus acrius, aut, ut verum dicam, pertinacius summis Pontificibus restitit, quemque Galli strenuum libertatis suæ defensores, & quasi antesignanos prædicant, hoc est, ut ipsi volunt, antiquorum Canonum vindicem, Papam omnium Ecclesiarum Pontificem & cunctorum Episcoporum Patrem,

L. C.
 rtatibg
 Galliana
 III
 231

316 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
ac Magistrum esse profitetur; *mox vestri*, sic scribit ad Nicolaum I. *Omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctarumque Episcoporum Paris, ac Magistri regulare iudicium ferre convenit.* Plures extant sive Hincemari solius, sive aliorum Episcoporum Galliae, illius ductum sequentium epistolae, in quarum superscriptionibus Romanus Pontifex Papa universalis dicitur.

5. Sed quo posset, ut alibi notavimus, argumento evidentius demonstrari Jurisdictio summi Pontificis in Gallia, quam authenticâ declaratione Prælatorum Parisiis congregatorum mensibus Martii, & May anno 1681; certè metuedum non est, nè illi Antistites urbanitatis causa jus summi Pontificis ultra debitos fines extulerint, quandoquidem ea de causa convenerant, ut Curiae Romanae Officialibus obstitèrent, quos Jurisdictionis Pontificiae metas transgressos esse conquerebantur. Nec dubium est, quin quaecumque scriperunt, accuratissimè, ac dudum expenderint. Hæc de summo Pontifice ad amissum, ut arbitror, plusquam semel revocata, scriperunt; „Caput est Ecclesiae: Centrum unitatis; „obtinere ille in nos Primatum autoritatis, & jurisdictionis „sibi à Christo Jesu in persona S. Petri collatum. Qui ab hæc „veritate dissentiret, schismaticus, imò, & hæreticus est „set.

6. Licet autem antiquae diutissimæque erga summum Pontificem observantiae, atque obedientiae vestigia etiamnum in Gallia supersint; si quis tamen ea cum antiquis monumentis conferat, faciliè observabit, longè declinasse postremis saeculis illius Regni homines, maximè laicos, ab antiquiorum instituto: ut nemo sit quin laudes Ecclesiae Gallicanae olim hac de causa meritò impensas, hodiè non integras ei deberi judicet.

7. Immotæ tamen omni ævo perstant rationes, quæ reverentiam, & obedientiam erga Christi Vicarium suadent: quandoquidem, ut profitentur Illustrissimi Antistites, Primatus autoritatis, & jurisdictionis ei à Christo in persona S. Petri collatus est, atque adèd ex institutione Christi Caput est Ecclesiae; Centrum unitatis.

8. Illam Sedis prærogativam, ejus originem, ac firmitatem fuisse, ac validè statuit Nicolaus I. Epist. 8. quæ est ad Im-

Imperatorem Michaellem; Ecclesia Romana, inquit, privilegia Christi ac in Beato Petro firmata, a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: Et quod Deus statuit firmum, validumque consistit. Ille, potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia inquam, istius Sedis, vel Ecclesie perpetua sunt, Divinitus radicata, atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Ista igitur privilegia huic sanctae Sedi à Christo donata, à Synodis non donata, sed jam solummodo celebrata, & venerata. Et infra; Præinde animadvertendum est, quia non Nicana, non denique ulla Synodus quodquam Romana Ecclesia contulit privilegium, qua in Petro noverat eam totius iura potestatis præter meruisse, & cunctarum Christi ovium regimen accepisse, sicut Beatus Praesul (Bonifacius) attestatur universis Episcopis per Thessaliam constitutis scribens; Institutio universalis nascentis Ecclesie de B. Petro sumpsit honore principium, in quo regimen eius, & summa consistit. Ex eius enim Ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias Religionis jam crescente cultura fonte manavit. Nicana Synodi non aliud præcepta restantur. Adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Bonifacii I. Epistolam, cujus hic refertur fragmentum, integram edidit Holstenius inter Acta Synodi Romanæ sub Bonifacio Papa II. pag. 65.

9. Huic summorum Pontificum doctrinæ consonat sanctus Bernardus de considerat. lib. 3. cap. 8. Eugenium III. sic alloquens; Sunt quidem, & alii Cæli Fanitores, & Gregum Pastores, sed tu tantò gloriosus, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos; TIBI UNIVERSI CREDITI SUNT, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, Pæse oves meas. Quas? Illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil, &c.

10. Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis in tract. de vita spiritali animæ lect. 3. postquam summi Pontificis auctoritatis partem præcipuam his verbis expressit; Habet itaque

Papa primò dominium superioritatis à Christo supra totam Ecclesiam cum plenitudine potestatis in eis, qua spirituale regimen Ecclesia propriè dicitur respiciunt, &c. Deindè resumit; Prima potestas cognoscitur ex Evangelicis, & Actibus Apostolorum, & ex iis, qua per successivam relationem eorum ad nos tantà certitudine sunt devoluta, ut merito temerarius, & scandalosus, imò schismaticus judicetur, qui potestatem hanc, vel abolere, vel diminui præsumpserit. Sed Textus Evangelicus, & Conciliorum generalium determinatio, & Ecclesia universalis consensus tantus, & assertio, imò & ratio naturalis præsupposità fide pro hac superioritate tam aptè faciunt, ut contra eum, qui se pro Catholico gerit, negantem hoc, magis sit destitutio, quàm disputatione certandum. Hæc potestas tam immediatè à De collata est, ut tota Ecclesia illam neque destrueret, neque noviter, si tolleretur, edificare valeret. Eandem tradit doctrinam lect. 2. ubi summi Pontificis Primatum his verbis adstruit; In tertio gradu reponebat leges Divina immediatè à Christo tradita, aut ab eis dicto modo deducta, qua per successivam relationem Apostolorum, & aliorum ad nos æquivalentem scriptura Canonica notificata sunt, ut fortè est ista lex; UNIVERSALIS ECCLESIA PONTIFICI ROMANO SVBIECTA SIT. Quod sit lex purè Divina, patet, quia nisi sic, posset humanà traditione Primatum iste cassari; Notanda sunt hæc verba, UNIVERSALIS ECCLESIA ROMANO PONTIFICI SVBIECTA SIT.

II. Hæc quidem ità in communi dicta negantur à nemine Catholico, quia nemini sunt incommoda, sed cum ad praxim deducenda sunt, autoritas Concilii generalis, libertas Ecclesiæ, Canones, & similia opponuntur, quasi verò illa excepta intelligantur in verbis Christi, aut etiam in declarationibus solemnibus. Quis v. g. ità interpretatur juramentum quod à singulis Episcopis tempore consecrationis præstatur; Decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. mandata Apostolica humiliter recipiam, & quàm diligentissime exequar; sive hæc cum æquivocatione promittantur, sive simpliciter promissa non impleantur, quomodo juramento, quod interponitur, non fit injuria? Idem dic de aliis juramentis, puta de eo, quod ex antiqua consuetudine exigitur à promovendis ad gradus in Universitate Parisiensi.

12. Sed dicit aliquis, debitam ei (Ecclesiæ Romanæ) reverentiam exhibebo, & nihil amplius: huic objectioni, quam S. Bernardus

duſ epist. 131. scribens ad Mediolanenſes, præoccupavit, ejuſdem S. Doctõris verbis ſatisfacio; Eſto, ſac quod dicis, quia ſi exhibeas debitam, & plenam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolica Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

C A P U T III.

Utrum Papa habeat immediatam jurisdictionem ſuper Eccleſiæ univerſe fideles.

1. **F**atentur quidem omnes Catholici datam à Chriſto ſummis Pontificibus in perſona B. Petri curam, & poteſtatem invigilandi ſupra reliquos Eccleſiæ Paſtores, maxime ut ſalva ſemper ſit fides, & Religio. Paſce oves meas Joann. 21. Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Luc. 22. Sed videntur aliqui dubitare, utrum illa Romanorum Antiftitum autoritas ſolum circa Paſtores verſetur, ut illi gregibus ſuis attendant, illoſque, ac ſeipſos juxta præſcriptas à Chriſto, & ab Eccleſia univerſa regulas gubernent: An verò etiam ad fideles, Prælatiſ inferioribus ſubditos, ſeſe extendat, dum ſuperiores immediati ſuis officiis non deſunt. Concedunt enim ſummum Pontificem poſſe aliorum defectus ſupplere extra ordinem, dum ordinariæ viæ non ſuppetunt.

2. In quo reſoſita eſſet Romani Pontificis autoritas, non ſatis clarè ſtatim omnibus perſpectum fuit. Quia enim perſecutionum tempore, vel ſchiſmatum, aliarumque calamitatum, impedita erat exterior capitiſ cum membris communio, ſtante ſemper interna fidei, ac charitatis unione, vix à Romano Pontifice ad alios præfertim remotos Paſtores, aut greges primis tribus ſæculis aliud, quàm quædam Episto- læ, pervenire potuit. Quamobrem Episcopi populos, ac ſeipſos à tanto tempore ſuo judicio, vel cum aliorum conſilio regere ſoliti, Papæ autoritatem ab impedimentis, quibus diſtenta fuerat, ſolutam, non tam ſubito exceperunt, ſed alii citiùs, alii tardiùs, nunc in iſto, nunc in illo capi-
te.

320 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
te prout sese offerebat occasio : donec integram libertatem
consecuta , suum ubique robur obtinuit ; quamquam variis
motibus , modò ex Hæreticorum , modò ex Schismaticorum ,
modò ex eorum etiam , qui ab Ecclesia non desciverant ,
parte , impeti nunquam destitit.

3. Et ne contra institutum nostrum extra Galliam evage-
mur , non defuerunt in eo Regno qui summi Pontificis Pri-
matum à Christo fundatum consentes , id tantum mun-
ris , & potestatis ei assignarent , ut daret operam ne Pastores
à propriis suis officiis recederent : Cæterum non posse Pa-
pam , nisi propter illorum negligentiam , aut malitiam , in
foro externo causarum iudicium ad se trahere ; sed tunc tan-
tùm eas judicare , cùm ad se per appellationem , aut aliam
viam juridicam essent devolutæ ; Nec in foro interno pen-
nitentiæ Sacramentum per se , vel per alios conferre , reni-
tentibus propriis Pastoribus ; eandem ferè , nec majorem in
omnes Provincias Romano Pontifici , quam unicuique Me-
tropolitano in suam Provinciam , facultatem tribuentes.

4. Hujus opinionis præcipuum videtur esse fundamentum,
quod cùm Episcoporum jurisdictio à Christo ipso immediatè
profluxerit , non possit eam summus Pontifex vel tollere ,
vel imminuere , nec statutum à sponso Ecclesiæ ordinem con-
fundere ; cujus potius servandi causâ , majorem cæteris ac-
cepit potestatem. Sed quemadmodum Episcoporum juris-
dictio immediata in omnes suarum Diœcesium fideles , qui-
bus particulares Parochi præfunt , etiam jure Divino , ut plu-
res scriptores Gallicani volunt , Ecclesiarum illarum particu-
larium ordinem non pervertit , quamvis Episcopus possit non
solum invigilare , ut Parochi officiis suis ritè fungantur , sed
etiam Parochianos per se gubernare , illorum confessiones per
se , vel per Confessarios Delegatos audire , aliaque omnia offi-
cia Parochialia gerere. Ita non sequetur Ecclesiasticæ Hiera-
chiæ confusio , etsi summus Pontifex in aliorum Episcopopo-
rum Diœcesibus functiones omnes Episcopales per se , vel per
alios exercendi habeat facultatem : etsi Episcoporum juris-
dictio non à summo Pontifice , sed à Christo ipso manaret ,
quam quæstionem in libro 8. fusè prosequemur.

5. At , inquires , illa regiminum multiplicitas multa ha-
berta

beret incommoda. Si enim diversa essent, confusionem non possent non parere, Ordinariorum Pastorum contemptum inducere, scandalum excitare, charitatem minuere, &c. Verum illa ipsa mala consequuntur, cum Episcopi in Parochorum, præsertim juxta Canonicam disciplinam proprios, ac Parochianorum mores, rectè instituentium, Parochias extraneos Sacerdotes immittunt, quorum est vivendi, & gubernandi ratio diversa. Ubique obest multitudo inordinata: ubique prodest, si ordinem sequatur: Si omnes eundem finem intendant, omnes ad amplectenda opportuniora media parati sint, jucundius, expeditius, ac feliciter ad metam omnes pervenient; Si quisque quod suum, non quod Jesu Christi est, quærat; Si suo quisque judicio duci, non aliorum consilium audire, nedum non sequi voluerit, pacis, ac tranquillitatis, fructusque omnis jacturam sequi necesse est. Sic se res omnes humanæ habent. Quotusquisque est qui sua interdum autoritate non abutatur. Si ergò legitima non censeatur potestas, quâ quis abuti potest, æqualitatem inter omnes homines reponere oportebit, ex qua graviora, & numerosiora pericula certissimè orientur.

6. Debent quidem summi Pontifices, ut sæpè notavimus, Canones, præsertim Conciliorum œcumenicorum, quorum sunt Custodes, & exequi, & exequendos curare: Nec Pastoribus, greges suos rectè administrantibus, obstare, aut in eorum regimen sine necessitate sese ingerere debent. Concordata servare, ac quæcumque pacis sunt, sectari. Si secus agant, humiliter monendi sunt, imò & liberè, si opus sit: non tamen idcirco debita officia prætermittenda. *Quid tam indignum tibi* (verba sunt S. Bernardi ad Eugenium III. de consideratione, lib. 3. cap. 4.) *quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi credita Universitatis, tanquam non sint tue, satagas, nescio quomodo adhuc facere tuas?* Erras, si ut summam, ita, & solam institutam à Deo vestram Apostolicam autoritatem existimas. Si hoc sentis, dissens ab eo, qui ait: Non est potestas nisi à Deo. Et licet ibidem gravissimè conqueratur apud Eugenium III. de exemptionibus, quibus inferiores superiori- bus immediatis subtrahebantur; expressè tamen declarat eam, & quidem summam, & plenissimam penes Romanum Pon-
 S f tifi-

322 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tificem esse potestatem. *Sic factitando*, inquit, *probat* vos habere plenitudinem potestatis, *sed iustitia forte non ita. Facitis hoc, quia patitis, sed utrum hoc debeatis, quaestio est.*

7. Aded certum habebat sanctus ille Abbas, Jurium Episcoporum, & Hierarchici ordinis nihilominus studiosissimus, summum Pontificem in Christianos omnes etiam Laicos jurisdictionem immediatam habere, ut illud tanquam indubitatum supponens, auctoritatem in Episcopos ipsos tanquam aliquid maius extollat. *Habem* (inquit de consideratione lib. 2. cap. 8.) *illi sibi assignatos greges, singulis singulos TIBI VNIVERSI CREDITI, uni unus. Nec modo ovium, SED ET PASTORVM tuorum omnium Pastor, &c.*

8. Magni ponderis est sine dubio hujus S. Doctoris auctoritas, & Gallis magnoperè veneranda, ut potè à Gallia oriundi, in Gallia educati, Gallicanorum Episcoporum jurisdictionis strenuissimi Patroni, summis Pontificibus, eorumque Curiae adulari nescii. Cum esset reliquorum Ecclesiae Patrum doctrinam instructissimus, illorumque vestigiis, uti in aliis, ita in hac quoque materia sine dubio inhærebat. Suo autem exemplo docet nos de abusibus potestatis conqueri licere, nec tamen ob abusus, potestatem ipsam à Deo concessam negari posse.

9. Si summi Pontificis potestas ex jure Divino metienda est, amplissimam illam esse concedendum erit, cum in rebus spiritualibus nullam exceptionem legamus à Christo appositam; & communis sit Jurisconsultorum cum Bartolo sententia quæst. 9. num. 11. *ubi lex generaliter loquitur, & non distinguit, nec nos distinguere debemus*; aut, ut appositè ad propositum nostrum S. Bernardus; *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Dum enim Christus Petro fratres confirmare præcepit, eo nomine omnes complectebatur fideles. Quotquot enim eundem Patrem Deum, & eandem Matrem Ecclesiam agnoscunt, fratres passim in sacris litteris nominantur.

10. Dum etiam Christus Petro pascendas oves commisit, non solos commendavit Prælatos, qui sunt velut gregis arctes, sed & superiores, & inferiores non solum oves, sed etiam agnos, ut qui à Petro, & ejus Successoribus pasci recuset, Christi se nec ovem, nec agnum esse fateatur. Sanctus Leo
serm.

serm. 3. de sua assumptione, sanctum Petrum à Christo electum docet, ut omnes gentes ad fidem vocaret, ut Apostolis, & Prælati reliquis præflet, ac denique ut omnes Christi fideles regeret: *De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & univesarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesia Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

11. Autor libelli, in quo describitur exilium, & mors S. Martini Papæ, quiq; habetur inter illius sancti Pontificis epistolas in sexto tomo Conciliorum Patris Labbei, appellat eum sub initium, *Sacerdotum Principem, & Apostolicum univesalem Papam: circa medium autem, Summum, & Apostolicum, atque præcipuum Pastorem omnium Christianorum.* Ex illius ergo Autoris, S. Martino coætanci (testatur enim se quæ narrat ex parte vidisse, ac recenter gesta) verbis constat tunc, scilicet circa annum 653. Romanum Pontificem habuisse jurisdictionem immediatam in omnes fideles, quandoquidem præcipuus Pastor omnium Christianorum dicebatur. Quomodo enim præcipuus esset Pastor eorum, quos regendi, & pasceudi per se potestatem non haberet? Quæ ratio probat summum Pontificem, sicut ab initio Pastor omnium Christianorum ex institutione Christi extitit, ita immediatam in illos jurisdictionem semper obtinuisse.

12. Idem significare videntur hæc verba Facultatis Theologiæ Parisiensis in censura nuper edita, *Romanum Episcopum unum esse jure Divino in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur;* quæ in multis antiquioribus ejusdem Facultatis Decretis leguntur. Luculentius testimonium mox proferemus.

13. Verùm quia usus, optimus habetur legis interpres, videndum est; quæ fuerit autoritatis Pontificiæ praxis illis temporibus, cum eâ liberè uti Papæ potuerunt, cumq; diligentius, & clariùs cognita fuit. Quamquam enim omni ævo aliqua identidem ejus specimina edita fuerint, tamen cum per tria prima sæcula ferè omninò à Tyrannis ligata fuerit, ideoq; ejus exercitium quasi novum quiddam aliquoties Episcopos, præsertim Africanos, commoverit, non potuit tam citò suum explicare fulgorem, & omnibus innotescere. Non est illustrior supremæ, atque immediatæ in Christianos Pontifi-

324 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
ciæ jurisdictionis usus, quàm dum immediatis Pastoribus sub-
trahuntur, ne dum per concursum cum Pastoribus ipsis im-
mediatis, aut per præventionem judicantur; maximè si
Pastores ipsi immediati, primùm quidem renitentes ob rei
novitatem, & à novitate ortam obscuritatem, deindè re-
diligentiùs expensà, & evidentiùs perspectâ assensum præ-
beant. Atqui plurima sunt exempla subductorum ab Episco-
pali jurisdictione, non solùm privatorum hominum; sed
etiam Communitatum, & Ordinum integrorum; cui qui-
dem subductioni, licet aliquandiu restiterint Episcopi, ut
videre est apud Petrum de Marca lib. 4. cap. 8. & passim in
Historia Universitatis Parisiensis; postea tamen acquieverunt,
ut ex antiqua, & pacifica possessione demonstratur.

14. Jus illud summi Pontificis declaravit celeberrimus Ec-
clesiasticæ jurisdictionis defensor Petrus Bertrandi Episcopus
Eduensis de orig. & usu jurisdictionum quæst. 3. *Omnes Christi-
ani, inquit, Principes terræ & ceteri homines Episcopis obedire debent, ut
B. Petrus præcipiebat. Ab hac tamen obedientia seu subjectione, Papa, qui
est supremus in Ecclesia, potest aliquos eximere.*

15. Nec objici potest illud summorum Pontificum usurpa-
tioni tribuendum: Temerarium enim esset, injustitiæ tam
odiosæ Pontifices damnare, pietate, ac doctrinâ insignes, ac
quorum etiam merita Deus miraculis illustravit, aut Episco-
pos Gallicanos sanctitate, ac rerum Ecclesiasticarum peritiâ,
conspicuos, in tuendis propriis juribus, seu potius Eccle-
siasticæ Hierarchiæ ordine defendendo, socordix incusare.
Sanctum Gregorium Magnum ab usurpanda jurisdictione cæ-
terorum Prælatorum, ut ejus facta, & scripta declarant,
alienissimum, ejusmodi exemptiones concessisse testantur plu-
res ejus epistolæ, v. g. Monasterium Virginum Augustodu-
nensium ab Episcopali jurisdictione exemit, à Regina Bru-
nichilde rogatus: nec instrumentum ab Episcopis impugnan-
dum tanquam invalidum, sed supprimendum tanquam minus
gratum metuit, ut significat ejus ad Reginam Epistola, quæ
est octava lib. 11. quamque lib. 2. adversus Launoium defen-
dimus; *Nos itaque pro munitione locorum, de quibus Excellentia vestra scrip-
sit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus: sed ne fortasse ab eorum loco-
rum Præpositis eadem Decreta nostra quoquo tempore supprimantur, pro eo quod*
cia

eis quadam interdēta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inferenda, quatenus sicut in nostris, ita quoque in Regalibus scri- niis teneatur.

16. Quin etiam de universa Ecclesia pessimè sentiret, qui eam errasse putaret in approbandis iis, quæ Romani Ponti- fices circa fideles præstiterunt, non consentientibus, ali- quando etiam repugnantibus illorum Episcopis, aliisque Præ- latis inferioribus. Quot enim sacrilegia perpetrata fuissent, quotque alia peccata commissa, si v. g. cum facultate à Papa immediatè concessa non potuissent Religiosi, aut alii Fideles sua peccata confiteri Confessariis ab ipso assignatis sine licen- tia, vel etiam contra prohibitionem propriorum Parocho- rum, aut Episcoporum? sed de hoc adhuc in capitibus se- quentibus.

17. Concilium generale Lateranense anno 1215. cap. 5. ex- pressè affirmavit, quod Romana Ecclesia disponente Domino SUPER OMNES ALIAS ordinaria potestatis obtinet Principatum, utpote Mater uni- versorum Christi fidelium, & Magistra.

18. Eandem doctrinam professi sunt Doctores Gallicani etiam à tempore schismatis. Thomas ab Argentina Præceptor Theologiæ in Academia Parisiensi circa annum 1445. in 4. sent. dist. 24. art. 4. sic scripsit; Ratione officii super Presbyteralem dignitatem inveniuntur in Ecclesia quinque gradus singularis dignitatis, quorum primum tenent Episcopi, secundum Archiepiscopi, tertium Primates, quartum Pa- triarchæ, quintum Papa, sive Romanus Pontifex, à quo tota Monarchia fide- lium tanquam ab uno Principe universalem, & eam hoc immediatam habente potestatem super omnes, & singulos Fideles, cuiuscumque conditionis, existant, convenientissimè gubernatur.

C A P U T I V.

De iurisdictione immediata summi Pontificis in omnes Fi- deles quantum ad forum internum.

1. **F**orum internum vocatur, in quo solvuntur, vel ligantur conscientiæ, remissis, vel retentis peccatis, & cen- suris, sine ordine ad externum Ecclesiæ regimen. Dum ergo

326 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
quæritur an summus Pontifex habeat jurisdictionem imme-
diatam in omnes Fideles quantum ad forum internum; sen-
sus est, an possit per se vel per alios à se delegatos injun-
gere satisfactiones pro peccatis, & ab ipsis, vel à censuris ab-
solvere Fideles, sine consensu Pastorum ordinariorum, qui-
bus subjecti sunt. Quocirca, licet quæ hæctenus dicta sunt,
hujusmodi potestatem probent, eam tamen juvat speciatim
confirmare.

2. Eruditissimus P. Christianus Lupus existimavit eam col-
ligi ex epist. 49. sancti Aviti Episcopi Viennensis, quæ est ad
Ansemundum intercedentem pro juvene pœnitentiæ, ob con-
stupratam Virginem Deo sacram, addicto. Innuvit enim sanctus
Episcopus juvenem, ut absolutionem extorqueret, minita-
tum se fuisse provocationem ad Romanum Pontificem; *Licet
diversas in me flammæ evomat, & ad Romana forsân Ecclesia audientiam
voce, &c.* Poterant quidem illæ minæ intentari circa alia,
quàm circa pœnitentiam impositam, quia sequitur; *Et si ad-
huc placet, etiam filios me habere dicat, &c.* Verùm præterquam
quod hinc saltè in fertur Episcopos Gallicos jam tum tem-
poris, hoc est, circa finem quarti sæculi Romæ judicari solitos,
quandoquidem addit S. Avitus; *Nec minas suas adsentatione plu-
cabo, nec fatigationes itinerum verebor.*

3. Sed cum tempore Nicolai I. constans esset usus, non
refragantibus etiam ipsis Episcopis Gallicanis, ut Laicorum
causæ Romæ judicarentur, necessariò consequitur jam antea
jurisdictione usos fuisse Romanos Pontifices immediatè in fi-
deles Episcopis Gallicanis subjectos. *An Laicorum, & vulgariu popu-
lorum iudicia,* inquit S. Pontifex epist. 42. quæ est ad univer-
sos Episcopos Galliæ, & refertur in Concilio Romano septimo;
*Inter majora negotia ponitis, quos penè quotidie cum vestris, & sine vestris
epistolis ad discutiendos, & judicandos suscipimus, & discussos, vel judica-
tos, vel absolutos dii iudicemus? Denique aut secularium iudicia inter magna,
& Episcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis Episcoporum, nulli
Laicorum iudicia reservabitis: aut certe, &c.*

4. Cum Gregorius VII. in Concilio Romano an. 1074.
Clericis præcepisset continentiam, & ut uxores dimitterent,
aut ab altaris ministerio abstinere, illudque Decretum plu-
ribus, in Germania præsertim durum nimis & grave vide-
retur

retur, contumaciam suam excusare cœperunt ob indulgentiam Episcoporum, quibus obedire satis esse causabantur. Apologeticum tractatum scripsit Autor, Bernardus nomine, in quo summi Pontificis auctoritatem & in Episcopos, & in Episcoporum subditos tuitus est, maximè cap. 23. & 24. istud sic inchoat; His autem rationibus & hoc declaratur, quod cuiusvis Episcopi Parochianus potius Domino Apostolico, quam proprio Episcopo obedire debet, cum auctoritas proprii nullatenus eum ab Apostolica damnatione valeat liberare, si Apostolicis præceptis inobediens extiterit. Et è contra Dominus Apostolicus si ei obedierit, eundem ab omni violentia proprii Episcopi facillimè poterit defendere, videlicet & ipsam Parochianum ejus ditione penitus emancipando, & Episcopum ab injuria per correptionem & damnationem Apostolica auctoritate refrinando. Attendant sane cuiusvis Episcopi subditus, ne vel proprio Episcopo contra Apostolica præcepta obediat in aliquo, &c.

5. Egrè tulerat Henricus Episcopus Leodiensis, quod unus ex suis subditis ab eodem sancto Pontifice fuisset absolutus; quamobrem Gregorius cum epist. 4. lib. 6. graviter reprehendit. Lectis, inquit fraternitatis sue litteris, non eâ te quâ decuit Apostolicam Sedem reverentiâ, sibi scripsisse, sed nos de absolutione illius Parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam Apostolica Sedis non esset auctoritas, quoscunque, & ubicunque vult ligare & absolvere... Intelligas te aut spiritu presumptionis, aut ignorantia contra auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ verba jactasse, quasi incitando Orientales, qui contra Beatum Papam Julium obloqui præsumserunt, eo quod ipse sanctissimum Athanasium Patriarcham sine assensu eorum absolverat.

6. Non fuit ea, ut nonnulli calumniari videntur, Romanorum Pontificum usurpatio; sed jus Divinum à Patribus aliisque sanctis Doctoribus aut expositum, aut insinuatum. S. Joannes Chrysoströmus homil. ult. in Joan. super hæc verba; sequere me; sanctum Petrum cum S. Jacobo Episcopo Hierosolymitano conferens, docet hunc soli Ecclesiæ Hierosolymitanæ, illum toti orbi à Christo præpositum fuisse, unde sequitur Successores Petri eandem ubique terrarum jurisdictionem habere, quam singuli Episcopi in propriis Diœcesibus. Quam sententiam secutus est ac sic expressit Euthymius Zigabonus in eadem verba Joan. ult. Hinc rursus ostendit, quod præ cæteris familiarem eum faciat, ac ampliore dignetur honore, ut etiam promptior fiat. Quod si quis dicat: Quomodo ergo Jacobus Hierosoly-

mi-

mitanam accepit Sedem 2. Dicemus quod Petrus orbis constitutus est princeps.

7. Sanctus Thomas jure Angelus scholæ dictus multis in locis docet summum Pontificem proprium esse Fidelium omnium Pastorem, quemadmodum Episcopus proprius est Pastor omnium suæ Diœceseos Christianorum, & Parochus suorum Parochianorum, ac sicut jurisdictio Parochi super suos Parochianos non impedit, quin eorum etiam proprius & immediatus Pastor sit etiam summus Pontifex. Papa, inquit opusc. contra impug. Relig. cap. 4. qui obtinet vicem (Christi) in tota Ecclesia Universalis Ecclesia sponsus dicitur; Episcopus autem suæ Diœcesis, Presbyter autem suæ Parochia, unde & Diœcesis sponsus Papa est, & Episcopus Parochia. Unde patet, quod ex hoc, quod Papa, vel Episcopus audit confessionem Parochianorum, vel alii audiendam committit; non sequitur, quod sint plures unius Ecclesie sponsi. Dixerat autem antea; Ad illud quod postea objicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri, dicendum, quod Sacerdos proprius non solum est Parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa, ad quos pertinet cura ejus, quam ad Sacerdotem, ut multipliciter ostensum est. Videri potest idem sanctus Doctor in 4. sent. dist. 19. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. c. gen. l. 4. c. 76.

8. Eandem doctrinam tradit S. Bonaventura scholæ alter Angelus in 4. sent. dist. 29. art. 3. quæst. 1. & adhuc expressius in opusc. in quo decernitur; quare fratres Minores prædicent, & confessiones audiant. Quatuor sunt, inquit, curæque plebis Parochialis proprii Sacerdotes: Primus & præcipuus est summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est. Ita quod omnes inferiores Ecclesie Rectores curam & totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiant mediatè, vel immediatè. Et infra: Unde cum Plebanus possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suæ prædicent, & eorum confessiones audiant, & absolvant, & penitentias injungant, ita quod sic absolvent non oporteat illo anno Plebanis suis iterum confiteri nisi velint; Multo magis potest hoc Episcopus, & maxime summus Pontifex, qui sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita & commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, &c.

9. Utrique præiverat amborum Magister Albertus Magnus in 4. sent. dist. 19. art. 10. Ad aliud, inquit respondens argumento, seu objectioni tertiæ; dicendum, quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa, & ille potest facere (id est absolvere) in omnibus, sed

sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt; Et ideo non licet eis extendere jurisdictionem ultra quam permiffum est eis.

10. Eos secutus est Augustinus Triumphus quæst. 19. art. 5. cujus est hæc resolutio; Papa immediate potest in qualibet Diocesi, vel Parochia quicquid potest Episcopus vel Sacerdos.

11. Quæ quidem sententia ita indubitata fuit apud Theologos sequentes, ut nonnulli eam de fide esse afferant. Vasquez in 3. partem D. Thom. quæst. 93. art. 1. dub. 1. cum Medina. Hæc sunt primi verba; Quod non intelligatur in Decretali (omnis utriusque sexus) proprius Sacerdos Parochus; sed etiam Pontifex, & Episcopus, esse de fide docet Medina; Et infra dubio illo sexto probabimus. Quo in loco eandem doctrinam fufius prosequitur. Sed certioribus nititur illa doctrina fundamentis.

12. Joannes XXII. cap. *vas electionis*. de hæret. in Extravag. com. propositiones istas damnavit. Primò, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones teneantur eadem peccata, qua confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundo quod stante omni utriusque sexus edicto, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem Curatum; imò nec Deus hoc facere posset: quia ut dicatur, implicat contradictionem. Tertio quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, imò nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse proprium Curatum. Quas propositiones hæc censurâ notavit. Omnes articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos, & à doctrina sacra devios auctoritate apostolica condemnamus, & reprobamus; Prædictorum doctrinam contrariam veram, & Catholicam asserentes; scilicet quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi fuissent, eorum proprio Sacerdoti Iuxta CONCILIUM GENERALE. Ultima verba Constitutionem istam factam esse significant ad interpretandum Concilium œcumenicum Lateranense, quod officium ad summum Pontificem pertinet. Hanc autem interpretationem amplexa est Ecclesia, ut nesciam quomodo sine errore inficiari quis possit, cujuslibet fidelis proprium Sacerdotem esse, non solum Parochum, sed etiam Episcopum, & summum Pontificem.

13. Ante id tempus, sanctus Bonaventura in exposit. cap. 9. Regulæ ff. Minorum sic scripserat; Possunt fratres Apostolicâ ordi-

natione in privilegiis Ordinis expressa audire cuiuscumque Sacerdotis Parochialis ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si auctoritatem habeant ab Episcopo audiendi. Et quia Curia Romana hoc determinat, hæreticum est aliud penitentiæ ceter affirmare. Sicut patet dist. 22. cap. Omnes; patet etiam Papam posse talia in Ecclesia ordinare, quia certum est, quod distinctio curarum, & delatio jurisdictionum ab auctoritate processit Ecclesie Romanae. Docet tamen ibidem sanctus Doctor quo animo ad huiusmodi functiones accedere debeant Regulares, scilicet ob Ecclesie necessitatem, non proprio motu. Eosque, qui secus agant demerere damnat; Ad objectum de agnitione vultus respondeo, quod si Sacerdos proprius scire possit, & vellet sufficiens consilium super subditos impendere, nullus sane mentis quæreret immiscere se confessionibus ad ipsum non pertinentibus audiendis.

14. Paulò antea Facultas Theologica Universitatis Parisiensis potestatem summi Pontificis in omnes Fideles, etiam quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ declaraverat, ut refertur à Cæsare Egalsio in hist. Universitatis tom. 3. ad annum 1252. non solum licere, sed etiam congruere, ut qui voluerint, sua peccata confiteantur Papæ, seu Pœnitentiariis ejus, etiam contradicentibus Sacerdotibus Parochialibus, & doctrinam contrariam erroneam esse; Omnibus præsentibus litteris inspecturis M. Naimericus Cancellarius Parisiensis, ceterique Sacra Scriptura Parisienses Doctores, quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestra volumus esse notum, quod consulti sumus à quibusdam, utrum Sacerdote Parochiali contradicente, vel invito, Parochianus ejus Domino Papæ, seu Pœnitentiariis suis, vel suo Episcopo, aut Pœnitentiariis ipsius, cum voluerint, peccata sua valeam confiteri, atque ab eisdem penitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus, & dicimus in hoc unanimiter consentientes, prædicta licitè posse fieri, & debere. Si qui autem dicant, aut dixerint contrarium, quantum in nobis est reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Domini 1252. mense Januario. Anno autem 1484 Petrus l'Aillier coactus fuit ab eadem Academia revocare hanc propositionem; Summus Pontifex Joann 22. non potuit condemnare de Poliaco nec facere decretalem vas electionis. Apud Maurclerum de Monarchia 4. part. lib. 8. cap. 6.

15. Concilium Tridentinum sess. 14. de refor. c. 7. declarat summo Pontifici competere facultatem reservandæ sibi certorum casuum absolutionis, pro suprema potestate sibi in Ecclesia uni-

resali tradita. Ubinam autem Scripturarum legitur, aut ex qua traditione habetur, non posse Papam subditos aliis Prælatiſ fideles, per se vel per suos delegatos absolvere, nisi ubi potestate absolvendi cæteris Pastoribus adempta, eam sibi reservaverit.

16. Canonici Juris Interpretes circa Decretum illud Concilii Lateranensis, quod incipit, *Omnis utriusque sexus*; in eundem sensum illud communiter interpretati sunt, in quem Theologi, tantaque est Doctorum omnium Catholicorum in eam mentem consensio, ut Ecclesiæ universæ dicenda sit.

17. Illam Episcopi Gallicani, ut certam amplexi sunt, quod in plerisque illorum libris, qui Rituales dicuntur, animadvertere licet, ac etiam in aliquibus Statutis Synodalibus. Galterus Episcopus Pictaviensis in Synodo habita anno 1284. luculenter profitetur circa suæ Diocæsis fideles summi Pontificis auctoritatem; *Cum nonnulli (verba sunt illius Antistitis cap. 3.) Subditi nostri Sacerdotibus, quibus cura animarum non est ab Episcopo, vel ab alio habente auctoritatem Apostolicam, vel aliâ competentem super hoc potestatem, Ecclesiastica Sacramenta absque licentia nostra, vel proprii Sacerdotis, & etiam nonnunquam à prohibito, scienter accipere non formidaverint, nec formident in suarum periculum animarum, cum à tali absolvi nequeant, vel ligari, &c.* Notanda hæc verba habente auctoritatem Apostolicam. Subditi sunt à Concilio Chalcedonensi Episcopis Monachi, nihilominus cum Episcopi nonnulli, sive avaritia, sive malitiâ eos vexare, atque in disciplina monastica perturbare cœperunt, coacti sunt Romani Pontifices Monachos ab Episcopali jurisdictione, vel partim, vel omninò eximere. Licet autem decursu temporis aliquorum Monachorum ambitio, ac libertatis desiderium sapientem illam dispensationem in abusum converterint, necessariam tamen fuisse intellexerunt Episcopi, quippè cum exemptiones videamus ab ipsis aliquando approbatas, aliquando ultrò indultas, probumque, ac moderatum exemptionum usum regularem disciplinam plurimùm juvisse, magnumque attulisse Ecclesiæ emolumentum.

18. Ità cum Prælati regendæ fidelium multitudini per se, aut suos Sacerdotes satis esse non possent; aliqui etiam non

332 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
rectè se haberent, nec animarum saluti satis invigilarent;
summi Pontifices, Pœnitentiæ Sacramenti administratio-
nem Regularibus commiserunt; eâ tamen lege, ut debitam
Episcopis reverentiam deferrent, modò majorem, modò
minorem, quod Concilio etiam generali Viennensi appro-
batum est.

C A P U T V.

*De autoritate summi Pontificis circa Jurisdictionem
contentiosam.*

1. **D**eterminatæ sunt in Concordatis inter Leonem X. Pa-
pam, & Franciscum I. Regem Franciæ initis, quæ
circa Jurisdictionem contentiosam oriri solebant disceptatio-
nes. Sed nihil est aded planum, quod difficile non evadat ex
partium studio, vel ex novorum casuum eventu. Præcipuæ
difficultates, quæ circa eam jurisdictionem à tempore Concor-
datorum emerferunt, istæ sunt. Prima, utrum Papa possit
alicujus negotii judicium ad se immediatè trahere? Secunda,
an possit aliquando Romæ negotia judicare? Tertia, an for-
mulis ordinis Judicarii sese accomodare teneatur.

2. Prima controversia frequens de causis majoribus est.
Causæ autem dicuntur majores ex quatruplici capite. Primò
ex rei, de qua agitur, magnitudine, ut v. g. quando spectant
ad Fidem, ad Religionem, vel ad præcepta generalia morum,
& disciplinæ, ut habetur Can. Præceptis dist. 12. cap. Majo-
res de Baptismo, & alibi. Secundò causæ majores dicuntur
ex magnitudine difficultatis circa illas natæ. Interdum enim
quasi synonyma ponuntur, majores, & difficiliore quæstio-
nes; & ab hoc maximè Capite Galli, saltem si Joanni Ger-
basio credimus, causarum magnitudinem metiuntur. Sic
enim habet Doctor ille dissert. de causis majoribus art. 1.
num. 10. Galli nostri diversam aliquatenus majorum causarum ideam tradi-
dere; neque enim causæ majores apud eos statim dictæ sunt, quæ de rebus ma-
joribus, ac præstantioribus essent; sed quæ plus obscuritatis haberent, ac diffi-
cultatis: quare tum tandem Apostolicam Sedem adeundam, ejusque consilium

gracula existimarent, cum aliunde lex non affulgeret, rationesq; vulgò usurpata minime sufficerent. Exploratum illud sit, &c. Tertio vocantur causas majores ratione dignitatis personæ, v. g. cum de Episcopo agitur, ut patet ex cap. *Inter corporalia*. De translatione Episcopi; & ex Doctoribus in illud cap. Denique majores dicuntur ob difficultatem exequendæ rei justæ, aut amolendæ rei injustæ. Sic anno 876. Ecclesia Remensis in Concilio Pontigonensi, cui Apostolicæ Sedis intererant Legati, majora negotia, & majores causas appellabat eas injurias, quas à Ludovico Germaniæ Rege perpessa fuerat, & timebat, ne in posterum pateretur: *Paternis magistris instrumur, ut si qua majora negotia, vel majores cause exorta fuerint, ad sedem apostolicam, prout auctoritas docet, et mos antiquus obtinuit, semper referantur.* Quæ sint autem illa negotia deinde notatur; *Calamitates & miseria Ecclesiæ nostræ, ac Civitatis nostrorum, quas hoc anno à Ludovico Rege, itemq; à Ludovico filio ejus & complicibus eorum, cades videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cetera flagitia, que nullus enumerare potest, Ecclesiæ nostræ perpessa est.* Denique postulatur auxilium; *Ne de cetero talia, ac tanta mala Ecclesiæ nostræ, ac Regnum patiantur, qualia hactenus passum est.* Sed hæc postrema duo Causarum genera majora non æstimantur, nisi cum aliquâ rei magnitudine conjuncta v. g. nisi agatur de deponendo Episcopo, vel alio gravissimo negotio.

3. Quæritur ergò an prima causarum illarum cognitio ad sanctam Sedem, an ad Concilium Provinciale spectet. Quæ in re, licet Episcopale judicium præmittendum, idque ex antiquis juribus colligi, aliqui senserint, certum est Concordata cum causas majores ab iis exceperunt, quæ deberent ab Ordinariis definiti, primum earum judicium summo Pontifici reliquisse. Cum enim contentiones circa jurisdictionem dirimere voluerint, hanc quæstionem, quæ maximi erat momenti, & à qua plurimæ, gravissimæque disceptationes oriri poterant, non reliquerunt indecisam: Alioquin enim si determinandæ illi superlegendum partes judicassent, de illa omnino siluissent. Cum autem mentio facta sit ejus, cur in aliud tempus definienda dilata fuisset, cum periculo ne interim novarum discordiarum esset fomes, ac sine spe novorum ad

334 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
eam in posterum commodius definiendam adjumentorum,
Perspicua videtur Concordatorum Sententia his verbis com-
prehensa tit. de causis; *Omnes, & singula causa, exceptis majoribus
in jure expresse denominatis, apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut
consuetudine praescripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari,
ac finire debeant. Quod idem in Concilio Basileensi, & Prag-
matica Sanctione statutum fuerat.*

4. Accedit quod tempore praecedenti, ac subsequenti Con-
cordata, Gallis persuasum erat, causas majores in prima
instantia esse ad sanctam Sedem referendas, quia haec erat Juris
communis dispositio, & Canonici Juris Interpretum senten-
tia, etiam apud Gallos. Guilielmus Durandus Episcopus
Mimatenfis in speculo Juris part. 1. tit. de legato §. *Nunc osten-
dendum num. 1. Majores causa,* inquit *ad Sedem Apostolicam sunt referen-
da, ut extr. de hap. Majores extr. de transf. c. 1. 11. q. 6. omnis oppressus,
& citatus super istis coram Ordinario potest etiam absque aliquo gravamine illius,
vel comminato ad Sedem Apostolicam appellare, ut 2. quast. 4. nullam & q.
6. ad Romanam & c. Ideo §. cum ergo quod specialissimum est ut probatur
extrav. de appellat. ut debitus in fin. Joannis Gersonii, Concordatis
non longè antiquioris, verba mox exscribemus; sed glossa
ipsa Pragmaticae Sanctionis, quae semper in eo Regno maxi-
mi habita fuit in tit. de causis §. *statuit verb. Majoribus rem
confecisse videtur, addens; Quae ex natura ipsarum sunt deferenda ad
Sedem Apostolicam, nec in ipsis compellebatur quis litigare coram Judice insti-
tuti. Quod multis comprobatur autoritatibus. Rebuffus magni
nominis in illo Regno Autor eandem doctrinam tradit his
verbis; In causis majoribus in jure expresse descriptis, & Sedi Apostolica re-
servatis.**

5. Joannes Gerbadius id unum in tota sua dissertatione de
causis majoribus explicandum sibi propositum fuisse proficitur in
allocutione ad Lectorem; *Quid nempe Juris in praesentia obtinere de-
beat apud Gallos de causis majoribus. Atque idcirco dissertationem suam in-
scripsisse, ad caput Concordatorum de causis. Cum enim, inquit, Concor-
datorum leges agrè quidem initio, usu tamen inductae, sic jam videntur, ut
municipalium instar legum nobis evaserint, opera pretium duxi examinare in
primis; si quid forte novi Concordata de causis majoribus statuissent, specia-
timq; de Episcoporum operum causis. & judiciis, quibus praesertim inhaerere sibi animi.*
Articulo autem 3. num. 2. *Quamquam, ait, dissertatio hac tota*

in scripta sit ad caput Concordatorum de causis; Verum tamen capitis eius tractatio propria magis erit hujus articuli, ubi sententiam legis capite isto comprehensa peculiari studio, ac de industria magis examinabimus. Quæ quidem declaratio levat nos onere discutiendi omnia exempla, quæ profert, judiciorum ab Episcopis circa causas majores diversis temporibus prolatorum, aut exceptiones, quas adhibet adversus prima judicia de hujusmodi causis à summis Pontificibus pronunciata.

6. Itaque id unum inquirendum est quid nempe in Concordatis eâ de re statutum fuerit; quandoquidem Concordata municipalium instar legum Gallis evaserunt; Atque quantum conjecturâ licet assequi, sunt ex illis regulis, moribus, & institutis à Regno, & Ecclesia Gallicana receptis, quæ valere debere declarant Illustrissimi Antistites Gallicani in hac tertia propositione. Sunt autem verba Concordatorum tit. de causis, quæ sequuntur; statuimus quoque, & ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes, & singule cause, exceptis majoribus in jure expressè denominatis apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & definiti debeant. Istud caput, seu titulus nihil amplius continet. Quod enim attexuit, nescio qua intentione, Joannes Gerbasius, aliud caput est sub titulo de frivolis appellationibus.

7. Agitur in capite modò exscripto, ut per se patet, de primo judicio causarum definitivo, non autem de supremo, & à quo appellari non possit. Nam neque minores etiam cause apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, ita terminari, & definiti possunt, quin liceat appellare, usque ad tertiam sententiam conformem inclusivè, ut in sequenti Decreto statuitur. Cum igitur de prima sententia sit sermo; constat, causas majores in jure expressè denominatas à lege generali excipi, ejusque exceptionis non aliam vim esse posse, quàm ut aliæ quidem à Judicibus definiti queant, qui jure, aut consuetudine, vel privilegio illarum cognitionem habent, Majores verò nequaquam.

8. Quod adhuc magis confirmatur ex eo quod notat Gerbasius; Nempe quod prava diu consuetudo inoleverat vocandi Romanam, etiam à remotissimis partibus, leviores causas, minimaq; negotia, sive id fiebat

336 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
*bat in prima instantia, ut aiunt, & per calumnias, sive per frivolas appella-
tiones. Duobus igitur abusibus, ut Gallorum more loqua-
mur, mederi voluerunt tum Patres Basileenses, qui materiam
Pragmaticæ Sanctionis subministraverunt, tum Autores Prag-
maticæ Sanctionis, cui substituta sunt Concordata, tum
Concordatorum ipsorum Autores; primò quidem ne omnium
causarum prima cognitio Romam evocaretur. Secundò ne
frivolè aut interturbato jurisdictionum ordine, omisso medio
appellaretur. Primo malo occurritur statuto supra relato, quo
prima causarum cognitio Judicibus reservatur, ad quos *de iu-
re, aut consuetudine, vel privilegio pertinet. Sed dum excipiuntur cas-
sa majores in iure expresse denominata, quid aliud operari potest illa
exceptio, quàm ut causæ majores etiam in prima instantia
summi Pontificis iudicio referrentur? Alteri abusi mede-
tur caput sequens, ubi prohibentur appellationes, nisi ad
immediatum Superiorem, & à sententiis interlocutoriis, nisi
gravamen inferant irreparabile. Itaque istud caput de causis,
consuetudinem vocandi Romam, etiam à remotissimis partibus leviores causas,
minimæ negotia tollit, sed exceptione firmat consuetudinem il-
luc vocandi causas majores, quæ parvis, & minutis rebus ac negotiis op-
ponuntur à Concilio Basileensi sess. 31.**

9. Id luce clariùs evadet si notetur doctrina Juris Ca-
nonici, ejusque Glossatorum & Interpretum circa ordi-
nem Judiciorum. Nam ex cap. *ut nostrum* de appellat. summus
Pontifex causam motam apud inferiorem Judicem ad se evocare poterat, quod de Principe supremo docent etiam Juris
Civilis Doctores, ut videri potest apud citatos ab Augusti-
no Barbofa in hoc cap. verb. *ad nostrum iudicium revocavimus. Ea-
que evocatio eundem, aut majorem, quàm appellatio, ha-
bebat effectum; Cùm plus sit, inquit Innocentius III. illius De-
cretalis Autor, Romanum Pontificem ad se aliquod revocare (aut ut
est in margine) evocare negotium, quam quemquam ad eum super ali-
quo negotio provocare. Poterat etiam ad summum Pontificem ap-
pellari omisso medio ut patet ex cap. *antiqua* de privileg. ubi
gloss. verb. *ab omnibus; hoc est, ait, privilegium Apostolica Sedis ut
omnis omnibus possit appellari ad ipsam. Idem docet hic Augustinus
Barbofa, plurimorumque Doctorum autoritate confirmat.*
Jus autem illud observabatur in Gallia, ut alibi. Non enim alio*

alio jure communi quam Decreto, & Decretalibus utebantur Galli, ut tradit D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. verbis jam alibi relatis; Abusus igitur, qui circa hæc duo puncta irreperant, tollere voluerunt Patres Basileenses, Auctores Pragmaticæ Sanctionis, & Auctores Concordatorum, solis causis majoribus primo sanctæ Sedis judicio relictis, & sublatis appellationibus, omisso medio, vel à sententia interlocutoria gravamen irreparabile non inferente.

10. Agnovisse, vel invitus videtur Gerbasius, Concordata aliquid statuisse circa causas majores, & discrimen inter illas, & ordinarias posuisse; sed vult hoc tantum statutum, nempe ut illæ referrentur ad summum Pontificem, non istæ. *Esto (inquit num. 4.) determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum causarum majorum. Esto clausula ista, exceptis causis majoribus, &c. legem contineat, &c. Et infra; Clausula itaque negat cognitionem causarum majorum debere omnino finiri à Judicibus in partibus sine relatione ad summum Pontificem. Sed aliena est prorsus à mente Conditorum illius statuti hæc interpretatio; quatenus primum judicium causarum majorum Episcopis reservare conatur. Primum enim jam dudum desiderat ille relationum usus, ut ne verisimile quidem sit illum in mentem aut Pontificis, aut Galliarum Regis, aut Episcoporum venisse. Secundò non quærebatur, an sancta Sedes esset consulenda super negotiis, sed in quo Tribunali, & quo ordine judicanda essent? An nimirum passim omnia possent per evocationem, aut per appellationem ad Curiam Romanam trahi, ut patet ex integro Decreti Basileensis, Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum contextu.*

11. Non negabit Gerbasius Senatui Parisiensi veram Pragmaticæ Sanctionis intelligentiam, quippè cujus se illa Curia protectricem profiteatur. Atqui Senatus Parisiensis in oratione ad Regem Ludovicum XI. an. 1461. circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ habitâ, & inter Tractatus de illis libertatibus in 1. tomo Puteani secundo loco relatâ, declarat primam cognitionem, & decisionem causarum ad Episcopos spectare, nisi sint majores.

12. Idem declararunt Officiales Regii an. 1461. „Cautum est ut Ordinarii tanquam veri Pastores cognitione, ac jurisdictione gauderent in suas oves, exceptis causis majoribus

338 TRACTATUS DE LIBERTATIBUS,
„bus reservatis à dicto Concilio, scilicet Basileensi apud Pa-
„teanum in probat. libert. Eccl. Gall. cap. 36. num. 21.

13. Articulo 15. affert Gerbafius quædam exempla Con-
cordatis recentiora, quibus ostendit Regem Christianissi-
mum, vel Ecclesiam Gallicanam, vel Episcopos singulares
intercessisse, ubi summi Pontifices Episcopos deponere mo-
liebantur, sed cum afferat exempla etiam contraria, quid ex
illo conflictu resultat, nisi modò illud, modò aliud jus
usurpari, prout quisque suis rationibus commodum judi-
cat?

C A P U T V I.

De causis judicandis Romæ.

1. **S**ecunda controversia est an majorum causarum cog-
nitionem Judicibus delegatis in Regno committere teneat-
ur summus Pontifex? Nequaquam certè, ad id adstringitur:
quia non honoris tantùm causa, & in signum superioritatis
summo Pontifici reservatæ sunt, quod de appellationibus in
causis ordinariis dici posset; sed quia propter rerum digni-
tatem, supremi Judicis lumen, & autoritatem requi-
runt.

2. Sunt multi alii casus, in quibus summus Pontifex de-
beret causarum cognitionem ad se trahere, etiam si alias nul-
la ei positiva lege reservarentur v. g. Primò cum Episcopi
aut nolunt, aut non possunt Ecclesiarum necessitatibus pro-
videre. Attamen, inquit Joannes Gerbais de caus. major. art.
10. §. 3. *Si quando Metropolitanis, vel in Suffraganeorum suorum sceleribus
convivere visi sunt, vel certè ob fufum latius malum, nimianq; forte corrup-
tam emendandis illis impares extiterunt; haud immeritò sane Apostolica Sedis
adfuit autoritas, ad quam nempe spectat cæterorum Episcoporum excitat
vigilantiam, inò & eorum implere vices, si fortè deficiant, &c.*

3. Secundò quando periculum est in mora, sic idem Ger-
bais art. 11. in fine, loquens de Commissariis ab Urbano VIII.
datis die octava mensis Octobris anno 1632. ad instantiam Lu-
dovici XIII. Francorum Regis adversus quosdam ejus Regni
Præ-

Prelatos, ait formam illam iudicii, ut scilicet summus Pontifex supremam causam iudicium immediatè committeret, necessariam fuisse, ob genus criminis, quod cum presentem Imperio suo (Ludovici) ruinam intenderet, longiorem tamen Canonice iudicii formam non sinebat usurari.

4. Tertio quando res sunt admodum difficiles, præsertim si concurrat aliquod scandali periculum, ut fatetur ipsemet Gerbais art. 4. §. 1. quamvis aliundè contendat primam majorum causarum, quo nomine difficiliore, præcipuè in materia fidei, intelligit, cognitionem ad Episcopos pertinere. Hæc itaque, inquit, regula constitui non ineptè poterit in fidei dirimendis questionibus. Nempè si controversia forsitan aliquis in Provinciis excitentur de rebus ad fidem spectantibus, vel res illa obscura erunt, insolentes, neque satis aut scripturis, aut etiam traditione explicata, TUM CONSVLEND A ERIT APOSTOLICA SEDES, EIVSQVE EXPECTANDA SENTENTIA, QVA PRIMA ESSE DEBET, ut inquit Facundus Hermianensis. Consentit in hoc Joannes Gerbaisius cum Joanne Gerlonio; nisi quod iste primum earum causarum difficultium iudicium summo Pontifici reservet. Hæc sunt ejus verba tract. de examinatione doctrinarum consideratione 3. Aliqua sunt doctrina palam hæreticæ apud omnes; alia dubia simplicibus, sed manifesta sapientibus, & peritis; tertia veluti neutra habentes pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus: Nec in una tantum Diocesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos. Est ergo veritas quod in primis, & secundis auctoritas inferiorum Prelatorum se extendit, & ad suos tantummodo: In tertiis verò nequaquam, quoniam merito dicuntur majores causa fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: Ideò sunt ad Sedem Ecclesiæ, VEL AD SEDENTEM IN EA referende, juxta illud: Si quid ambiguum, vel difficile, &c.

5. Quarto si Episcopi etiam vicini suspecti essent. Cum enim jure tam naturali, quàm positivo Judices suspecti recusari possint, si omnes inferiores gravi laborarent suspitione, recurrendum sine dubio esset ad supremum, qui negotium ad se trahere posset, si certò prævideret Episcopos v. g. sæcularis potestatis metu injustitiam nullo modo, vel difficulter reparandam commissuros. Istud pluries accidit in negotiis Episcoporum. Quamobrem Hincmarus Episcopus Remensis privilegium à sancta Sede instantè efflagitavit, impetravitque,

340 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
que, ne ab alio, quàm à summo Pontifice judicari possit,
Nullius infestatio ante audientiam Romani Pontificis, quia nec regula hoc per-
mittit Ecclesiastica, judicare te, vel condemnare presumat. Quod est temerari-
us quisquam fortè presumpserit, nullius excommunicationis, vel obligationis,
vel condemnationis sententiâ sine decreto Pontificis tenearis adstrictus, sed si à
quocumque, vel undecumque fueris compellatus, ut debeas judicari, APOSTO-
LICI PAPÆ IUDICIO TE RESERVARI, nostrâ, imò B. Petri au-
toritate decernimus. Nec alterius cuiuscumque iuri, vel iudicio te subijci ex-
ceptâ potestate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Provincia sy-
nodum, nisi ex communi placito posse convocari mandamus. Nicolaus I. epist. 1. in Appendic. Ministrant hujusmodi exempla oppres-
sorum à propriis Coepiscopis Antistitum Historiæ Gallica-
næ, Prætextati Rothomagensis à Chilperico Rege oppressi,
de quo Gregorius Turonensis hist. franc. lib. 5. cap. 19. sancti
Desiderii Episcopi Viennensis Brunehilde Regina instigante,
exactorati in Concilio Cabilonenfi anno 603. illorum
Episcoporum, de quibus Sigebertus in Chronic. anno 685.
Theodoricus Rex, inquit, Ebroinum in gratiam recipit, ejus consilio Syn-
dum Episcoporum cogit, & in hac multos eorum ex sententiâ Ebroini prius
Arnulphi, Hugonis Capeti præcepto urgente à Sede Re-
mensi depositi, de quo lib. 5. Aimoini, sive ejus continua-
toris cap. 46. aliorum denique non paucorum, quos certè
maximè juvisset, si Romani Pontifices eorum causas ad se evoca-
cassent, ne à Coepiscopis Principum voluntati cedentibus
obruerentur.

6. Concilium Tridentinum dignitati, ac securitati Episco-
porum optimè se consulere putavit, statuens, ut causæ gra-
ves Episcoporum à solo Romano Pontifice judicarentur, non
permissâ earum cognitione Conciliis Provincialibus, aut
Episcopis Metropolitanis, nisi fortè ad sumendam informa-
tionem, si quando id locorum distantia, vel alia ratio postu-
laret. *Causæ criminales*, inquit sess. 24. de reform. cap. 5. gra-
viores contra Episcopos etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut priva-
tione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur, & terminentur.
*Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committen-
da, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Bea-
tissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio, & specialis sit, & nam ipsius
Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quàm ut solam facti
instructio-*

instruccionem sumant, processumq; conscribant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant: reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva: Videri etiam potest sess. 13. de reform. cap. 8. & jura utrobique ad marginem citata. Cum ad Episcoporum pertineat dignitatem talem habere Judicem: Nescio cur illi ipsi ejus judicium effugere nitantur, quo facile possent indigere. An ut Conciliis Provincialibus sua servetur autoritas. Sed desit in Galliarum usus; & licet congregarentur, ad tuendam innocentiam, si opprimeretur, vel ad plectendam injustitiam, si a potentibus defenderetur, parum valeret.

7. Aliæ possent occurrere occasiones, & legitimæ causæ perferendæ ad sanctam Sedem primæ negotiorum cognitionis. Illic posse causas retineri, quoties justa subesset ratio expressè continebat olim Pragmatica Sanctio his verbis, aut aliam rationabilem causam, quæ verba licet deleta sint, ut docet glossa, ad instantiam Universitatis Parisiensis, nè sub illorum prætextu quælibet negotia Romæ tractarentur, & quælibet causa justa, & rationabilis supponeretur: Tamen si revera subessent hujusmodi causæ justæ, & rationabiles, si non ex Jure Gallico, certè ex naturali, & Divino, liceret summo Pontifici potestate sibi à Christo traditâ, uti.

8. Sic habet nunc Pragmatica Sanctio tit. de causis §. si verò, ubi sermo est de causa in partes remittenda. Nisi forte propter defectum justitiæ, aut justum metum etiam in partibus convicinis, de quibus in commissione exprimendis legitimo prius documento, alias quam per juramentum summarie constiterit, apud ipsam Sedem foret merito retinenda. Glossa ad verbum convicinis; sequebatur in primo originali, aut aliam rationabilem causam; quæ clausula sublata est instantibus Nunciis Universitatis Parisiensis; eo quod minima causa, quæ in Romana Curia exponeretur, apud multos rationabilis, & legitima judicaretur, & per hoc non esset provisum abusibus. Cessante igitur fraude, si defectus justitiæ, justus metus, aut alia rationabilis causa postulet, negotium poterit apud sanctam Sedem retineri.

9. Si Conciliis Provincialibus relinquenda est cognitio graviorum causarum contra Episcopos, non est expectandum, ut quisquam puniatur, cum jam pridem nulla illic Concilia celebrari videamus. Atque illud præcipuum videtur esse consilium eorum, qui tantoperè certant, ut Episcopi à Conciliis Provincialibus judicentur. Cum enim frequentior erat Synodo-

342 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
modorum celebratio securius, & honorabilius sibi arbitra-
bantur Præsules solius Romani Pontificis subiacere judi-
cio. Si quis de admisso in Regem, aut Regnum crimine
accusaretur, facilis quidem foret Concilii congregatio, sed
accusato admodum periculosa, essetque maximè optandum,
ut illius causa immediatè ad sanctam Sedem deferretur, Ro-
mæque judicaretur juxta Concilii Tridentini Decretum.

C A P U T VII.

Utrum Papa in ferendo judicio teneatur ordinem judicium ad amussim sequi.

1. **H**Æc quæstio egregiè tractata est à Joanne Monacho
Cardinali Natione Gallo, patria Picardo supra Confi-
tut. Bonifacii VIII. quæ incipit; Rem non novam. Extra-
vag. de dol. & contumac. verb. *non obstantibus aliquibus privilegiis*:
Antequam dubium resolvat distinguit quinque genera legum,
& jurium, scilicet, primò legem æternam, quam cum S. Au-
gustino contra Faustum definit esse Divinam voluntatem,
ordinem universitatis conservari jubentem, & perturbari ve-
tantem. Secundò legem naturalem homini impressam, tan-
quam participationem quamdam legis æternæ, & principia
rerum agendarum dictantem; puta bene esse agendum, nul-
li nocendum, benè agentes premiandos, peccantes punien-
dos. Tertiò legem Divinam hominem dirigentem ad finem
supernaturalem, idest naturalem virtutem, & facultatem
hominis excedentem. Quartò legem humanam ex naturali
deductam tanquam conclusionem à principio necessariam cum
illo connexionem habentem. Quintò legem humanam, na-
turalem determinantem in iis, quæ ab ipsa in communi tan-
tùm præscribuntur; puta cum lex naturalis dicet in com-
muni peccantes esse puniendos, non determinatâ pœnâ, lex
humana præscribat homicidas esse puniendos tali, vel tali ge-
nere pœnæ.

2. Ex his quinque legum generibus quatuor prima cujus-
vis hominis, etiam summi Pontificis, potestatem superant.
Cum

Cùm enim lex æterna sit ipsemet Deus ; lex autem naturalis , quasi quædam copia , & impressio legis æternæ à Deo facta ; lex Divina ab ipsemet Deo constituta ; ac denique lex humana à naturali tanquam conclusio deducta , virtualiter , ac radicaliter in suo principio contenta , ejusdem rationis cum illa censeatur ; constat illas omnes à solius Dei voluntate pendere , unde interdum earum quælibet ab Autoribus , legis Divinæ nomine donatur. His igitur non superiores , sed subiecti sunt cujuscumque conditionis homines , nec ab eis recedere sine peccato possunt.

3. Itaque dum quæritur an summus Pontifex teneatur ordinem judicium in aliquo sequi : Primò videndum est an ille ordo sit à lege aliqua , ex supradictis præscriptus. Quod si ita esse constiterit , non poterit certè illi sese non accommodare : sed de hoc nulla est controversia , præsertim in materia libertatum Ecclesiæ Gallicanæ , in qua frequentiores contentiones oriuntur ex violatis aut prætermiſſis solemnitatibus , & formulis in Gallia servari solitis , & à consuetudine , ab ordinationibus Regiis , aut Senatus consultis , institutis.

4. Quo circa dicendum videtur non debere quidem summum Pontificem solitum illum ordinem prætermittere , vitandæ perturbationis causa , & quia plerumque ad justitiam conducere in qualibet regione censenda sunt , quæ populi consensu , ac diuturno usu comprobata sunt ; non tamen idèò invalida esse summi Pontificis Decreta , dummodo in iis nihil desideretur illorum , quæ lex Divina , vel naturalis præcipit , præsertim si prætermittere ordinem , necessitas , aut magna utilitas suadeat ; puta si ejus conditionis sit negotium , ut nisi celeritè afferatur remediū , plurima consecutura sint mala , qualia essent dogmata perniciosa , Sacramentorum profanationes , &c. Imò in rebus minoris momenti , si per provisionem , ut vulgò dicitur sine partium præjudicio , aliquid statuatur , alicujus periculi vitandi gratia , causæ merito maturiori examini , & discussioni à Judicibus , ad quos pertinet , faciendæ reservato. Vel enim forma illa est à Rege aut populi usu constituta ; & sic summum Pontificem vitæ potè Superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesia ipsa inducta est ,

III
731

344 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
est, & ita supremi Pastoris est, super ea dispensare, postu-
lante necessitate, vel Ecclesiæ utilitate.

5. An minorem summo Pontifici libertatem circa formu-
las in judiciis Ecclesiasticis concedemus, quàm Jurisconsulti
Curii Regii in negotiis sæcularibus? *Curia Parlamenti*, inquit
Petrus Rebuffus in proem. ad Concord. n. 15. *ex bono, & æquo
judicare solet, & secundum conscientiam, & debet veritatem attendere non
subtilitatem, seu formalitatem.* Omitto, quòd vulgò circumfertur,
Principem, & præcipuè Papam, esse supra legem, solum
à lege, ac lege superiorem. Verumtamen cùm id de vi tan-
tùm coactiva intelligi debeat, Principes, præsertim Eccle-
siastici, vim legis directivam, amore justitiæ, accuratius
sequi debent, quàm subditi vi coactivæ, timore pœnæ, sese
accommodare.

6. Illustrissimi Præfules Gallicani, ut summi Pontificis,
quamplurimarum Ecclesiarum Galliæ libertatem adversus Re-
galiam defendentis zelum sisterent, violatum ab eo in ali-
quibus negotiis judiciarium ordinem obtenderunt; ac cùm
deberent Christi Vicarium malis, & scandalis in illis ipsi
negotiis perpetratis medentem juvare, illa silentio involven-
tes de inverso processû ordine gravissimas excitarunt que-
relas. Verùm quæcumque necessaria erant ab eo observata
fuisse, & ea tantùm prætermissa, quæ vel impossibilia erant,
vel ob conditionem negotiorum, promptum remedium postu-
lantium, adhiberi non poterant, ac denique rerum justitiam
adeò esse evidentem, ut nullo prætermissarum formularum
prætextu cludi posset, egregiè demonstratum est variis scrip-
tis Gallico idiomate editis, præsertim libello, cujus titulus
est; *Considerationes circa Ecclesiastica negotia in proximo
Comitiis generalibus Cleri Gallicani proponenda.* His igitur
omissis ad quæstionem redeamus.

7. Communia quidem à nemine negantur. Sed ea casibus
particularibus applicare, in quibus tamen operæ pretium est,
non tam facillè quilibet possit.

8. Duabus partibus omninò necessariis, & quasi essentia-
libus constat judicium, scilicet cognitione causæ, & prola-
tione sententiæ, ad quas reliqui omnes actus referuntur. Ne-
cessè quippe est, ut Judex causæ merita intelligat, ac iis in-
tel-

tellectis jus dicat. Verùm ut causæ cognitionem adipiscatur, opus est, ut utraque pars jus suum exponat, ac partis adversæ allegationibus respondeat, quod litis contestatio à pragmaticis nuncupatur. Ex ea contestatione maximè pendet causæ instructio, eo quod nihil magis ad detegendam veritatem juvet, quam si omnes utrinque rationes proponantur, ut contingit, cum hinc Actor, illinc Reus; alter pro affirmativa, alter pro negativa, studiosissimè, ut fieri solet ab iis, quorum interest, conquisita argumenta profertur. Undè illa litis contestatio ceu præcipuum processûs fundamentum habetur à Jurisconsultis. Ut autem ambæ partes in id concurrant, oportet, ut vel communi consensu, vel quod plerumque necesse est per Rei citationem conveniant apud Judicem. Quod si, ut ferè semper accidit, altera pars affirmet, neget altera; cum neutri quantumvis eximie dignitatis credendum sit; probationibus opus est, quæ de veritate fidem faciant, ac Judices instruant. Detecta veritate pronuntianda est sententia, ac executioni demandanda, nisi fortè injusta sit, & à superiori Judice corrigenda.

9. Quamvis ergo ad hoc, ut judicium validum sit jure naturali, ac Divino, satis sit, ut Judex causam norit viâ publicâ (cum enim ut persona publica, & ob bonum publicum procedat, non sufficit ei privata cognitio, quantumvis certa); & ut æquitatem, & justitiam servet in jure dicendo: tamen quia perfecta illa cognitio, partibus non auditis, vel saltem vocatis, & aliunde accersitis probationibus, haberi non potest; nec consequenter, nisi temerè judicari: necesse omnino est; primò ut partes citentur, nisi fortè ultrò convenerint, & utraque jura sua tueatur, aut tueri possit. Secundò ut, si pars altera adesse nolit, quod ab altera asseritur probetur. Tertio ut judicium secundum allegata, & probata, juri præsertim Divino, & naturali consentaneum proferatur.

CAPUT VIII.

De necessitate Citationis, & probationum.

1. Citationem de jure naturali ac Divino esse consentiunt omnes ferè Doctores; ita scilicet, ut nemo condemnatur, nisi se defendendi facultatem habuerit. In eam sententiam adducuntur variis Sacræ Scripturæ locis, præsertim Genes. 4. vers. 9. *Ait Dominus ad Cain, &c.* ubi Glossa interlinearis sic ait; *Non quasi ignarus ut discat, sed ut reum puniat;* quia scilicet nemo puniendus est, nisi aut convictus, aut spontè confessus. Non patitur bonum publicum ut impunita remaneant scelera; sed multò minus ut plectantur insontes, qualis autem quisque sit, nemo meliùs novit quàm ipse; nec aliis meliùs innotescere potest, quàm ipsius verbis; quæ si sincera sint, veritatem manifestant; si mendacia, non ità componi, aut promi possunt, ut vel ex contextu, vel ex modo, vel ex collatione cum aliis iudiciis, & probationibus, aliquam non præbeant Judici criminis detegendi ansam; ut neque famâ, neque testibus solis, neque aliâ quavis ratione tutè omninò, ac expeditè, reo non audito, ad criminis, vel innocentia cognitionem perveniri possit. Etenim licet factum ipsum possit omninò notorium, & evidens esse; tamen ejus bonitas, & malitia plurimum ab adjunctis, seu circumstantiis pendet, quarum saltem aliquas nemo alius præter ipsum facti Autorem certò novisse potest, v. g. quâ intentione ductus fuerit, quod maximè in ferendo de qualibet actione iudicio attendendum est; quia, ut Divina docent oracula, si oculus intentionis fuerit simplex, totum corpus actionis, quæ bene ac malè fieri potest, erit lucidum: sin autem nequam fuerit intentionis oculus, tenebrosus erit totum actionis corpus. Jurisperiti etiam in criminibus an dolus intercesserit, diligenter inquirendum monent.

2. Eâ de causâ inhumana semper habita sunt illa iudicia, quæ contra absentes non auditos, nec vocatos probata fuerant, Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. *Non est confusio*

endo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat Accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina: Verba sunt Fecti ad Judæos S. Pauli damnationem urgentes Agrippæ relata Act. 25. vers. 16. Seneca eam esse putabat ante sententiam audiendæ utriusque partis necessitatem, ut sapienter pronunciaverit; qui parte inaudita alterâ aliquid statuerit, licet æquus sit quod statuit, haud æquus fuit. In Med. vers. 199. & 200.

3. Eam injustitiam sibi à suis Adversariis factam gravissimè conqueritur S. Joannes Chrysostronus in epistola ad S. Innocentium Romanum Pontificem, *Quæ ab ipsis facta, contra omnem sunt ordinem, contra omnes Leges, contra omnes Ecclesiasticos Canones. Et quid dico, Canones Ecclesiasticos? Neque in Gentilium judiciis, neque in Barbarorum Tribunalibus talia attentata sunt unquam, imò verò neque Scythæ, neque Sarmatæ unquam judicaverunt, judicium dandum uni parti, absente ea, quæ accusatur, &c.*

4. Sanctus Augustinus epist. 162. ita in Donatistas invenitur: *Ubi est quod Scriptura clamat: Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris corripe justè; Si ergo nec vituperari, nec corripi, nisi interrogatum Spiritus sanctus voluit, quanto sceleratius non vituperari, aut corripere, sed omnino damnari sunt, qui de suis criminibus nihil absementes interrogari potuerunt.*

5. Nec puto à quoquam dubitari, quin audiendus, vel saltem citandus sit reus, antequam in eum, vel etiam pro eo seratur sententia: De citandi tantum ratione interdum ambigitur. Bonifacius VIII. in Constitutione *Rem non novam* de dol. & contum. in Extravag. commun. quam occasione dissidii cum Philippo IV. Francorum Rege dicitur edidisse, statuerat, ut citationes autoritate Apostolicâ de quibuscumque personis, undecumque, & ubicumque essent, præsertim si impedirent ne citationes ipsæ ad se pervenirent, sive loca tutè, ac liberè adiri non possent, factæ in audientia litterarum Apostolicarum, aut in aula Palatii, postmodum affigendæ in valvis majoris Ecclesiæ loci, in quo Romana Curia resideret, sic valerent, ac arctarent citatos, sicut si eos personaliter apprehendissent, seu ipsismet significatæ fuissent. Quia verò vox illa, præsertim, indicare videbatur, id etiam in aliis casibus, ultra expressos in Constitutione, locum habere debere, cæteros omnes Clemens V. in Concilio Viennensi,

nensi excludit, his verbis; *Præfatum modum citandi restringimus ad illos tantum, & in illis locum volumus sibi vindicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant, per se, vel per alios, quoquo modo, ne ad eos possit citatio pervenire, vel quorum domicilia, sive loca non possunt tuto, liberè adiri.* Clement. Dudum de judic.

6. Ergo de jure Divino, ac naturali est, ut nemo condemnatur, nisi sese defendendi facultatem obtinuerit. Quamobrem oportet ut citetur, meliori quo potest modo; Ita tamen, ut, quantum est ex jure Divino vel naturali, satis sit, quod citatio ad ejus cognitionem perveniat, aut ut, ne pervenire possit, ipse vel efficiat, vel procuret. Cæterum quantum ad speciales citationis conditiones pro variis personarum, & negotiorum circumstantiis, Canonibus, & legibus standum est, quandiu aliqua urgentissima causa diversum ordinem sequi non suadet. Si autem hujusmodi causa subsit, justitia præscriptis formulis, quæ propter commodius servandam justitiam excogitatæ sunt, anteponenda est, præsertim à supremo judice.

7. Porrò si reus sincerè crimen suum, aut aliud quid sibi contrarium fateatur; ulteriori probatione non est opus; præsertim si de scelere non agatur, cui pœna mortis debeatur (quo casu non esset audiendus, perire volens:) quia non est verisimile, homines, ad privatum sui amorem propensissimos, velle suis rebus nocere, etiam cum veritatis dispendio, quam econtra plerique propriarum rationum conservationi postponunt. Sed cum deest rei confessio, necesse est, imò, cum adest confessio, est utile alias conquirere probationes, ut nonnisi plenè comperto factò jus dicatur.

8. Cujusmodi autem debent esse probationes, ut plenam fidem facere censeantur, vel ut Judex ad ferendam certam sententiam procedere queat: pro causis quidem ordinariis duo testes omni exceptione majores ex jure Divino, in variis Scripturæ locis promulgato, & ex multis legibus humanis, requiruntur, & sufficiunt. Frequenter tamen plures necessarii sunt, seu probationes majores: aliquando sufficiunt pauciores probationes, pro rerum, & personarum conditione, prout crimina, de quibus est quæstio, clam, aut palam solent perpetrari; prout pœna gravior, aut levior infligenda est,

est, ac pro cæteris circumstantiis. Quocirca id sequendum est quod præscribunt leges, & consuetudines, aut Judicis arbitrio standum, ubi res à legibus ei permessa est, aut ubi iudex supremus est, cujus sententia legis vim habet, quod iuris Divini aut naturali aperte non repugnat.

9. Dubitatur autem, utrum, si pœna pro vero, sed non comperto crimine imponeretur, valeret sententia. Eam certe rescindendam esse probat idem Joannes Monachus loco jam citato, plurimis, gravissimisque rationibus: unde necessario consequitur abstinendum esse à ferendis hujusmodi judiciis. Reus non tam sui, quàm aliorum causâ punitur à Judice, ut scilicet similis pœnæ timore à malo retrahantur. Si autem crimen confessione, aut alia juris ratione ad publicam lucem deductum non fuerit, non magis malis, quam bonis terror inducitur, nec potius culpæ Reorum, quam injustitiæ Judicum pœna adscribitur. *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore Accusantis*, ut habet Glossa in cap. 4. Genes. vers. 10. Indiget tamen examine, ut patet in cap. 18. Genes. ubi Deus cum de peccato Sodomorum & Gomorrhæ dixisset, *Clamor Sodomorum, & Gomorhæ multiplicatus est, & peccatum eorum ageratum est nimis*, subjungit nihilominus; *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam*. Ubi Glossa; *Ut à precipitatione judicii compereret, mala Sodoma prius voluit probare, quàm judicare*.

10. Cæterum Superiorum sententia, etiam injusta, præsertim si injustitia circa modum dumtaxat versetur, contemni non debet, ne contemptus dignum reddat pœnâ, quæ fortè injustè fuerat inflicta. Quo circa sapienter monet S. Gregorius homil. 26. in Evang. *Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat: ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsa temerè reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

CAPUT IX.

Discrimina inter potestatem summi Pontificis erga fideles totius Ecclesie, & potestatem Archiepiscopi erga subditos suorum suffraganeorum.

1. **C**Larius elucefcet summi Pontificis autoritas erga fideles omnes, si cum eâ conferatur, quam Archiepiscopi in suffraganeorum suorum subditos obtinent, idemque de Patriarchis, ac Primatibus erga fideles sibi non nisi mediâ suppositos intelligendum est.

2. Primum, ac præcipuum discrimen, & à quo cætera ferè omnia suboriuntur, in eo positum est; quod potestas summi Pontificis ex omnium Catholicorum consensu à Deo immediatè profecta est. Archiepiscopo verò ab Ecclesia collata est jurisdicctio. Id luculenter tradit S. Thomas Opusc. contra impugn. Relig. cujus verba alibi retulimus, & mox repetemus.

3. Secundum discrimen ex primo resultat. Si enim summus Pontifex à Deo suam accepit autoritatem, ab Ecclesia vel tolli, vel minui nequaquam potest, quod summi Pontifices protestati, & Doctores confessi sæpissimè sunt. At verò Ecclesia potestatem, quam Archiepiscopo contulit, modò auxit, modò minuit. Quo circa S. Thomas loco jam citato jurisdicctionem non solum summi Pontificis in omnes fideles, sed etiam Episcopi in Sacerdotes suæ Diocesis, jurisdicctioni Archiepiscopi in subditos suorum suffraganeorum anteponit; Episcopus subditus Archiepiscopo solum ex ordinatione Ecclesie, & ideo in quibus Ecclesia statuit Episcopum Archiepiscopo subiectum, in illis tantum subiectus est ei. Sacerdos autem, qui ex jure Divino Episcopo subditur, in omnibus est ei subiectus, sicut etiam Papa habet immediatam jurisdicctionem in omnes Christianos, quia Ecclesia Romana nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini, & saluatoris nostri Præmatum obtinuit.

4. Tertium discrimen ex secundo nascitur. Quia enim Ecclesia Episcopis Archiepiscopos præfecit, non autem eorum subditis, nisi in casu appellationis, & paucissimis aliis; summo

mo verò Pontifici Christus omnes suas oves commisit, quo nomine censentur non solum Prælati, sed etiam eorum subditi: Archiepiscopus jurisdictionem tantum mediatam habet in suorum suffraganeorum Diœcesanos; summus autem Pontifex immediatam in omnes Christianos. Quod discrimen in variis Juris Canonici locis notatur, ut Can. quamvis dist. 21. cap. Romana de appellat. in 6. &c.

5. Quartò ex illa immediata summi Pontificis in omnes fideles jurisdictione oritur; quòd confessiones eorum per se, vel per suos Pœnitentiarios excipere possit, ut supra probavimus, quod Archiepiscopo pro cursu tantum visitationis concessum est: Archiepiscopus (inquit S. Thomas quodlib. 12. art. 30.) quia non habet immediatam jurisdictionem in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex appellatione, non possit alicui dare licentiam vel auctoritatem audiendi confessiones contra voluntatem Episcopi, & Diœcesani suffraganei.

6. Quintò in causis ad forum contentiosum spectantibus Archiepiscopus ex officio procedere non potest, nec etiam ad querelam unius partis, ut declarat cap. Venerabilibus de sentent. excomm. quod potest summus Pontifex, ubi necessitas postulat.

7. Sextò differt potestas summi Pontificis ab Archiepiscopali, quod summi Pontificis auctoritas Successoribus S. Petri inhæreat, nec ad alios transferri queat. At verò dignitas Metropolitana modò uni Sedi, modò alteri, modò etiam, nullà Sedis habità ratione, antiquiori Episcopo delata est, vel à Conciliis, vel ab usu, vel à summis Pontificibus quod tùm reliquarum Ecclesiarum, tùm Africanæ, historia testantur. Sed & in ipsa Gallia non defuerunt exempla tum collatæ, tum ablatæ Metropolitanæ dignitatis. Notissimum est S. Leonis factum, qui Hilarii Archiepiscopi Arlatensis erga sanctam Sedem contemptum multavit, demptâ illi Ecclesiæ Metropolitanâ jurisdictione, ac Ecclesiæ Viennensi concessâ; Quamquam restitutæ sunt postmodum Arlatensi quædam suffraganeæ.

8. Septimò limitata est Metropolitanorum jurisdic-tio non solum ad certa loca, certosque articulos, sed etiam ad certum procedendi modum. At summus Pontifex solius justitiæ

352 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tia ac rectæ rationis limitibus stringitur. Licet enim, ut
sæpè notavimus, non æquale semper fuerit Pontificiæ po-
testatis exercitium, amplissima tamen semper illa potestas ex-
stitit.

C A P U T X.

De autoritate summi Pontificis in bona Ecclesiastica.

1. **B**ona Ecclesiastica, sive in ordine ad Deum spectentur, qui sibi frugum terræ partem reservavit in signum supremi, quod in omnia obtinet, dominii, sive in ordine ad fideles, qui eorum, quæ à Divina bonitate acceperant, partem reddiderunt, sive in se ipsis, ad absolutum summi Pontificis dominium non pertinent, multò minùs aliorum Prælatorum, aut Beneficiariorum. Qui contrariam doctrinam tradunt, præterquam quod Sacrorum Canonum statuta, & sanctorum Patrum sententiæ adversantur, maximam Ecclesiæ perniciem afferunt, Beneficiariis occasionem præbentes, redditus Ecclesiasticos ad extollendas proprias familias, ditandos parentes, vel Aulicos, magnifica Palatia construenda, convertendi, eosque sive testamento, sive donatione, aut aliâ dispositione distrahendi; quæ res & dantium conscientiam gravissimè lauciat; & accipientium sæpè fortunæ, Deo ità justè permittente, sæpius salutis animæ plurimum obest.

2. Si bona illa quemadmodum docet Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 1. post Canonem Apostolicum 39. *Dei bona sunt*; non debent, ut tradit idem Concilium, Episcopi, atque aded nec primus Episcoporum, qui cæteris debet esse norma, ea ut propria tractare; sed ut sibi commendata, in ejus, ad quem pertinent, cultum expendere; quodque ipsi ex his sibi vendicant, in suam, tanquam in Dei hominum sustentationem expendenda percipere. Sunt enim ipsi homines Dei, ut docet Apostolus 1. ad Timoth. 6. 11.

3. Fideles bona Ecclesiæ offerentes, etsi Ministris Christi, ut ejus obsequio commodius vacare possent, necessaria vitæ
sub-

subsidia suppetere voluerint, nunquam tamen illis, aut illorum parentibus, vel consanguineis ditandis, aut aliis expensis inutilibus, sua bona destinaverunt. Quocirca pleraque donationum instrumenta perhibent dari, & offerri bona illa sancto Petro, sancto Paulo, vel aliis Sanctis; non autem ipsorum Ministris, quibus ea ut Oeconomis tantum, & Dispensatoribus commendantur, concessis tantum ad sustentationem necessariis.

4. Quando primi Christiani pretia divendorum prædiorum ad pedes Apostolorum perferebant; an vel ipsis fidelibus, vel Apostolis, vel alii cuiquam postea venit in mentem, Apostolos esse pecuniarum illarum Dominos, & posse in alios usus infundi, quam in alimoniam pauperum, vel in alia opera pia? An putavit quisquam potuisse S. Petrum, aut alios Apostolos his opibus augere familiam? An B. Petrus id grande piaculum non duxisset? An non autem iisdem legibus tenentur Apostolorum successores, quibus ipsimet Apostoli? An majori pollent autoritate in Ecclesiam, vel in ejus bona, illi, qui hodie præsumunt, quam qui à proprio Christi ore regimen acceperunt.

5. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 7. expressè docet penes summum Pontificem directionem esse bonorum Ecclesiasticorum, non autem dominium. *Quantvis enim, inquit, res Ecclesia sint ejus (summi Pontificis) ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris. Quem locum sic commentatus est Cardinalis Cajetanus; Nota quod cum potestas Papa quoad res temporales Ecclesia non sit potestas Domini, sed DISPENSATORIS, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesia temporalia non exeat limites potestatis DISPENSATIVÆ, &c. Et inferius; Ex eodem quoque fundamento, scilicet quod Papa non est Dominus, sed DISPENSATOR, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesia, cui voluerit, aut consanguineis, &c. Sed teneatur FIDELITER DISPENSARE, ut recta ratio suadet, juxta illud; Hic jam quaeritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Et rursus: Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, & non ad libitum, quantum volet.*

6. Longissimè inter se distant bona sacra, & prophana, licet utrorumque solam dispensationem hominibus concedi-
tam

354 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tam doceant sancti Patres. Ista in omnes usus non prohibitos
expendi possunt, quantum est ex ipsorum conditione; Quod
addo, quia ex hominis affectu in eo sapissimè peccatur: sa-
cra verò nisi in operibus verè piis, & sanctis infumere nefas
est. Hoc nomen ipsum manifestè significat; sanctum enim,
aut sacrum idem est, quod ab omni usu prophano semotum,
& cultui Divino mancipatum, sive immediatè, ut vasa sa-
cra, quibus ad peragendam rem Divinam utimur, sive me-
diatè, ut decimæ, & alia, quibus Tempa sartatecta, & or-
nata conservantur, Altaris Ministri aluntur, aliaque operapia
perficiuntur.

7. Licet autem Papa non sit absolutus bonorum omnium
Ecclesiasticorum Dominus; tamen quæ rationes à jure natu-
rali, & positivo, Divino, & humano ductæ probant eum,
qui Altari servit, de Altari vivere debere, eadem etiam de-
monstrant Romanum Pontificem, cum omnium Ecclesiarum
sit Primas, cum teneatur, ut illarum Pastores officio fungan-
tur, invigilare, delinquentes corrigere, atque, si peccatum
exigat, plectere, illorum jura tueri, aliaque probi Patris, &
Pastoris officia exhibere, posse de rebus Ecclesiarum om-
nium ea capere, quibus ad congruam suam, Officialiumque
sibi collaborantium sustentationem indiget.

8. Itaque, quamvis certa sint Ecclesiæ Romanæ, sicut &
reliquis aliis, bona destinata; si tamen illa non sufficiant,
licebit, quæ deerunt, ex aliis Ecclesiis conquirere. Ut enim
multiplicem personam sustinet Pontifex, ita multiplices sum-
ptus facit; & unius quidem fortasse Dioceseos necessitati-
bus providenti sufficerent fructus inde percepti; at non totum
Christi gregem pascenti, atque regenti. Si ergo Reges con-
sumptis domanii, ut vocant, rebus, qui propriis & Regni
expensis erant destinati, sine injuria possunt exigere subsidia,
ad bella pro Regni tuitione, aut securitate suscipienda, vel
sustinenda, aliaque gerenda negotia, publico bono utilia:
Quidni poterit Summus Pontifex, iis, quæ à speciali Dico-
cesi percipit, ad ipsiusmet Dioceseos bonum expensis, ab
omnibus aliis Ecclesiis, quibus prospicere tenetur, necessa-
ria subsidia sibi assumere. *Quarta potestas*, inquit Cancellarius
Parisienfis lib. de vita spirit. anim. l. 3. *Naturaliter Papa con-*
700

veniens habet, & requirit, ut tanquam SUPERIOR, & TUTOR, atque Conservator honoretur, & juvetur ab omnibus.

9. Concilium Basileense, quod in id maximè incubuisse videtur, ut Summi Pontificis jura quàm angustos posset in fines arctaret, cum Annatarum usum abolendum decerneret, hoc tamen temperamento Decretum lenivit; Pro oneribus autem, quæ ipsum (Romanum Pontificem) pro regimine universalis Ecclesiæ salvere oportet, proque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum necessariorum Officialium hoc sacrum Concilium, ante sui dissolutionem comminò debuit, & congruenter providebit. Quod si contingat aliquam circa hoc provisionem non facere, per hoc eadem sanctæ Synodus, non intendit in aliquo modo prejudicare sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ. Datum Basilea in Majori Ecclesiæ in sessione publica celebrata anno Domini 1433. 30. Julii.

10. Itaque Clerus Gallicanus, qui tam alacriter, tamque liberaliter Regi suo, tum singulis annis certa rataque, tum quinto quoque anno nova & extraordinaria subsidia confert, quibus Regnum ab hæresi liberet, aut tueatur, iniquus esset, si Summo Pontifici, qui totius Ecclesiæ curam ex divino mandato gerit, ea sine injuriâ denegari posse arbitraretur, quibus ad rectum, & felix totius Christianitatis regimen indiget. Quæ injustitia clariùs appareret, si Summo Pontifici non tam pro sua, suorumque sustentatione, quàm pro totius Ecclesiæ adversus Infideles defensione auxilium postulanti non obtemperaretur; qua de re agemus capite sequenti.

11. Nec justa esset excusatio, si objicerentur nonnulli abusus, qui fortè olim in exigendis hujusmodi subsidiis irrepleverunt, ut optimè notavit Joannes Gersonius, sex considerationes super statu Summi Pontificis, & Dominorum sanctæ Ecclesiæ Cardinalium ponens. Statutis enim in duabus primis considerationibus dignitate atque autoritate illius status; nec non jure capiendæ sustentationis, considerationem tertiam hanc addit; status prædictus non ideo perdit jura sibi convenientia, quæ posuit præpositio duplex præcedens, si fortè fuerim abusus aliqui personales, olim vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversus omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem; quòd dissipandus est, deserendus, & perdendus; quoniam in multis offendimus omnes. Gers. tom. 1. col. 188.

CAPUT XI.

*De potestate Summi Pontificis in exigendis pro Ecclesia
contra Infideles defensione subsidiis.*

1. **D**ocet nos B Paulus, & post illum unanimi consensu sancti Patres, ac Doctores Catholici, Ecclesiam corpus esse; Ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, inquit Apostolus Ephes. 1. unum corpus & unus spiritus. Ephes. 4. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Col. 1. v. 24. Illius corporis membra sunt omnes fideles; Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. 1. Corint. 12. v. 12. Vos autem estis corpus Christi & membra de membro. ibid. v. 27.

2. Quæ autem sint membrorum inter se affectiones, & officia explicat Apostolus 1. Corint. 12. v. 25. & 26. his verbis; Idipsum pro invicem sollicita sunt membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congratulantur omnia membra. Quemadmodum igitur in corpore naturali sola membra rescissa, vel arida cæterorum dolore non afficiuntur; ita in mystico Ecclesiæ corpore, qui singularum Ecclesiarum infortuniis, ac persecutionibus non moventur, se viva mystici corporis Christi membra non esse declarant.

3. Cæterum mutua illa membrorum sollicitudo non in sola sistit passionum communiione, sed ulterius in præstanda opera & auxilio; ut imminens, aut jam vexans malum propulsetur. Læsâ manu accurrunt oculi, ut vulnus intueantur, pedes ad remedium properant, lingua illud postulat, altera manus admovet, singula denique membra propria officia obeunt, ad unius partis offensæ solatium. Non ergo Christianæ charitatis præcepto faciunt satis, qui afflictis condolent, nec opem ferunt. Cum Christiani Jerosolymitani magnâ laborarent egestate, tanto cum affectu illis cæteri succurrerunt, ut effusam illorum liberalitatem moderari ferè opus fuerit; Quia secundum virtutem, & supra virtutem voluntarii fuerunt.

2. Corint. 8. v. 3. Itaque modum hunc præscripsit Apostolus, non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex equalitate. In presentem tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestra inopia sit supplementum, ut sit equalitas. ibid. v. 13. & 14.

4. Cum Saladinus Babylonæ Rex Saracenus terram Sanctam infestaret, ac Hierosolymam cœpisset, Philippus II. Rex Franciæ, Henricus II. Rex Angliæ, cum antea inimici essent, Guillelmo Archiepiscopo Tyri prædicante, & Domino per gratiam, & per signum miraculosum cooperante, facti sunt amici, susceptaque de manu illius Archiepiscopi Cruce, stauerunt ut omnes (exceptis illis, qui ipsam peregrinationem susciperent) ad impensas expeditionis decimam redituum & mobilium suorum persolverent. Hoc autem, ut notant Rigordus in vita Philippi, & Rogerius de Hoveden in vita Henrici, factum est consentientibus Episcopis, & Baronibus.

5. Porro si fideles, etiam laici bonorum propriorum partem in pium illud opus erogarunt, quanto æquius est, ut Ecclesiæ bona, quæ idèd sacra dicuntur, quod divinis usibus sint destinata, in rem ad Dei gloriam, & animarum salutem tantopere conducentem impendantur? Si laici fratrum suorum calamitates tenentur sublevare, quanto magis Pastores, & in Christo parentes? Si etiam adhibitâ excommunicationis sententiâ, ut testatur Rogerius, & innuit Rigordus, renitentes laicos ad solvendam Decimam de rebus & mobilibus profanis indictam aegerunt: Nonne turpe esset, si ipsi de bonis sacris, quorum sunt tantum dispensatores, opem in fidei libertatis, ac vitæ periculo constitutis ultrò non offerrent?

6. Prævit illis nuper ipsorum caput: quis enim obsesâ à Turcis Viennâ toti ferè Ecclesiæ non metuebat exitium? Quis Othomanicæ potentie in Germaniam, Italiam, ac remotiores deinde Provincias irrupenti obstitisset, Christianis Principibus inter se concertantibus, nisi providentia Summi Pontificis in se ipsum avari, & in Ecclesiam liberalissimi, suis consiliis, vigiliis, ac curis assiduis, effusam thesauri sui largitionem adjunxisset, quo Principes, ad communem Christiani nominis hostem repellendum armatos, juvaret; ac, cum propriis ipsum manibus pugnare non deceret, effusis pecuniis vinceret? Magnum quid præstare sibi videbatur Innocentius

358 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tius III. in Concilio Lateranensi triginta millia librarum ad
expeditionem in terram sanctam offerens. Sed quàm exiguum
donum, si conferatur cum magna illa vi auri & argenti, quam
Innocentius XI. in Germaniam & Poloniam misit? An exem-
plum adèdè insigne reliquorum Episcoporum, & inferioris
ordinis Clericorum animos ad depromendos Christianorum
Principum conatus non accendet? Cæteri Pontifices præ-
ceptis, atque censuris egerunt: Innocentius XI. exemplo
invitavit. Sed si qui præeuntem non sequerentur, an de ju-
bente, vel etiam cogente justè conquererentur?

7. Spontanea, inquires, debet esse obligatio. Is sanè qui-
dem modus pietati Christianæ congruentior est. Verum posse
urgente necessitate reluctantes, saltem clericos cogi, docent
plurimorum Decreta Conciliorum: solo præcepto usum est
Lateranense quartum. At Lugdunense primum censuram ad-
jecit; *Sciatis, se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis
sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint,
sententiam excommunicationis incurrant.*

8. Sed ne quis hanc potestatem solis Conciliis competere
obtendat, suadet ratio, ac praxis confirmat, eam etiam pe-
nes Summum Pontificem existere. Est ille paterfamilias, ad
quem spectat cura totius domus, Pastor universi gregis, &
caput visibile universæ Ecclesiæ, ad cujus proinde officium
& autoritatem spectat sollicitudo de universis domesticis Dei,
de singulis Christi ovibus, de cunctis mystici ejus corporis
membris.

9. Sanè ita hodie refrixit charitas, totque congregandis
Conciliis obstant impedimenta, ut peritura esset maxima
Christianitatis pars, si eâ tantùm ratione auxilium esset ex-
pectandum. De sapientissimo igitur Ecclesiæ institutore cer-
tò credendum est, ipsum Vicario suo, cum ei sponfam suam
commisit, facultatem quoque largitum esse cuncta peragen-
di, quæ ad securam ejus custodiam, ac defensionem, essent
necessaria.

10. Plurima sunt Pontificum hac facultate utentium exem-
pla; Clemens IV. è Gallia oriundus, pietate atque integritate
maximè conspicuus, an. 1267. Decimam omnium reddituum
Ecclesiasticorum S. Ludovico Francorum Regi ad expeditio-
nem

nem in terram Sanctam sese accingenti ad triennium concessit; cumque Capitula Ecclesiarum Cathedralium onus detrectarent, ea graviter increpuit, & excommunicationis, Beneficiorumque privationis interminatione in ordinem redegit. Vide Raynaldum ad an. 1267. num. 53. & seqq. Urbanus IV. etiam natione Gallus antea, ut videre est apud eundem ad an. 1256. num. 13. non Capitula solum (ne quis suspicetur secundi tantum ordinis Clericos cogi solitos) Archipræsules Remensem, Senonensem, & Bituricensem renitentes compulerat. Alia passim in eodem Raynaldi volumine legi possunt exempla, ex ipsorummet Pontificum litteris ab eo citatis educta.

11. Sed ea est hujusmodi subsidiorum, dum necessaria sunt, justitia, ut qui se morosos in eis præstandis exhibuerunt, non tam autoritatis ad ea exigenda defectum in Summo Pontifice, quam abusus quosdam, aut nimiam in exigendo severitatem causati sint. Verum, præterquam quod longè abessent hodie omnium illarum excusationum colores, cum Innocentius XI. suos thesauros exhaurire malit, quam extra Italiam Decimas imponere, & reliquos Episcopos exemplo allicere, quam præcepto urgere; non continuo neganda esset Papæ potestas, ut superiori capite cum Gersonio notavimus, etiamsi ejus usui nonnulli olim abusus admixti fuissent.

12. Unum dumtaxat video superfuturum Clero Gallicano, & aliis prætextum, si res eò perducerentur, ut Pontifex consumptis suis redditibus, non posset Christianarum aliquarum Provinciarum adversus Infidelium impetui securitati consulere, nisi exacto ab aliis Provinciis subsidio: nimirum non jam de recuperanda terra Sancta, sed de tuendo, vel restituendo Principum sæcularium dominio agi. Quasi verò solius Palestine causâ olim petita sint Decimæ, ac non unicum sit Ecclesie corpus; aut ideò deferendi sint Christiani in fidei periculo constituti; quia si eis manus porrigatur, non nihil utilitatis illinc in Principes Christianos derivabitur. Nihilne Reges Franciæ perceperunt emolumentum ex compressis in partibus Tholosanis Albigenis, quâ occasione Honorius III. Philippo Augusto partem etiam pecuniarum subsidio terræ Sanctæ destinatarum concesserat, ut videmus in ejus epist. in append. 2. Tom. 5. Duchesne relatâ sub num. 10.

13. Mär-

13. Martinum IV. natione Gallum Philippo III. Francorum Regi Decimas ad triennium concessisse, ut bellum gereret contra Petrum Aragoniæ Regem, Siciliæ invasorem, testatur ejus litteræ ad Joannem Legatum datæ, ut Præsules ad solvendas Decimas cogeret, & citatæ ab Oderico Raynaldo ad an. 1283. num. 35. nec dubitavit pius ille Pontifex, ut ostendunt litteræ ab eodem Historico citatæ ibid. n. 41. exactas à Clero pro instaurandis Syriæ rebus Decimas, olim decretas in Concilio Lugdunensi, ad defendendam Siciliam derivare. Narrat idem Scriptor, & citatis ejusdem Pontificis libris probat num. 10. ipsum non solum à Gallis, sed ab aliis quoque Præsulibus opes in id conferri voluisse. Siculos similiter, tum Provinciæ, atque Arelatensis Archiepiscopatus Præsules Decimas Regi Carolo, ut hostem Regno ejiceret, solvere; atque ad id à Legato adigi præcepisse. Hæc autem ab eo perperam gesta non fuisse suadent virtutes & miracula, quibus claruisse fertur apud historicos. Honorius ejus successor, quas ille Decimas Philippo III. jam pro Aragonia armis comparanda attribuerat, Philippo IV. ad quadriennium permisit, ut narrat Raynaldus ad an. 1286. num. 28. sed de his hæcenus, quæ in praxim redigere, utinam nunquam opus sit.

C A P U T XII.

De jure summi Pontificis circa Beneficia.

1. **N**ullâ in re laudabilior foret Gallorum pro defensione libertatum Ecclesiæ Gallicanæ zelus, quàm si antiquorum Canonum observantiam, circa Beneficiorum dispositionem sartam tectam servarent, nec Summum Pontificem cogerent suâ supra Concilia, & eorum Canones, autoritate uti.

2. Restiterunt quidem Galli dispensationi super regula, quæ regularia Beneficia regularibus personis conferri præcipit, quando summi Pontifices beneficia Galliæ Italis, aut alterius Nationis viris, de Ecclesia benemeritis distribuebant. At ubi ex Caroli VII. Francorum Regis Edicto anno 1431. dato

dato non nisi indigenis (intellige sine Regis licentia) ea largiri licuit, Commendarum usus in favorem sæcularium adeò invaluit, ut quamvis antiqua Canonica disciplina Concordatis confirmata fuerit tit. de Regia ad Prælaturas nominatione facienda §. volumus, Philippus Probus in addit. ad gloss. Pragmat. Sanction. tit. de collat. §. cui rei num. 17. in hunc modum conqueratur; *Hodiè tamen sit contrarium, adeò quod in Gallia vix posset reperiri decimus Abbatum numerus professionis Regularis. Undè non immeritò videmus omnes penè Damos Regulares ad nihilum in vita, & moribus prout & rebus reduci, & caducitatem amplecti, Monachosq; Mendicantium Ordinum fieri, & extra septa Monastica potius eos languescere, quam vivere. QVÆ SIT HORVM OCCASIO, VEL CAUSA, DICITVR EX EO QVOD COMMENDATARIIS APERTA EST SUPERIORVM PORTA, QVIBVS HIS, ET ALIIS DE CAUSIS POTERIT CLAVDI IANVA COELI. Qui abusus ex eo tempore magis, ac magis excrevit.*

3. Eaque fuit una ex causis cur Concilium Tridentinum à Curia Franciæ non fuerit receptum. Primam enim recusatationis rationem eam attulerunt Regina, & Magnus Cancellarius Nuncio, Concilii receptionem urgenti. „ Quod Concilium Tridentinum vetaret Beneficia regularia in Commendam tradere, cum Rex huiusmodi Commendis multos Primates viros sibi devinciret, quorum auxilio difficillimis illis temporibus indigebat. Pallavicinus histor. Concil. Trid. lib. 24. cap. 11. num. 4.

4. Adeò non servantur in Gallia Canon 15. Synodi Nicænæ, 21. Antiochenæ, & 5. Chalcedonenfis, ut in nulla Christiani Orbis parte frequentius violentur, cum innumere fiant Episcoporum translationes. Unde plurimorum in illa Ecclesia malorum seminarium existit. Non enim tanto affectu Ecclesiæ, quam quis semel gubernandam suscepit, adheret: non tam sedulo invigilat; non tam facile permanens opera aggreditur: libentius in Aulæ studia, quam in tuenda Ecclesiæ suæ jura propendet, qui Aulæ beneficio ad pinguiorem se conscendere posse confidit: Hoc ut assequatur non solum Magnatibus blanditur, sed obsequitur, etiam cum Ecclesiastici juris, & libertatis jacturâ: Ambitione tenetur; Hinc avaritiâ, illinc prodigalitate peccat: Ac

362 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
demum futuri, non animarum, sed honoris, & divitiarum
lucri expectatio ita tempus, & cogitationem abripit, ut
obcundis suscepti regiminis officiis nihil reliquum sit; Et pro-
prium gregem non perpetui Pastoris animo curet, sed tem-
poranei mercenarii more exugere festinet.

5. Quot excidissent in Gallia è proprio gradu tum Episco-
pi tum inferioris Ordinis Clerici, si Beneficiorum plurali-
tas eâ penâ multaretur, quam indixit Canon 10. Concilii
Chalcedonensis. Quæ regula si valeret, & vigeret, non tan-
ta plerosque ambitio, vel avaritia inflecteret ad Aulicorum
officia, aliorumque, quorum ope Beneficia Beneficiis ac-
cumulatos se esse sperent. Non tantus esset Ecclesiastica-
rum rationum neglectus.

6. Præcipua Ecclesiæ Gallicanæ libertatum pars olim in eo
posita est, ne Romanus Pontifex Beneficiorum dispositio-
nem sibi assumeret. Verum tum cum de illa dispositione Gal-
li acerbis conquerebantur, Concilium ipsum Basileense jus
illud summi Pontificis agnovit, ei aliquorum Beneficiorum
dispositionem reservans sess. 31. Decreto de collatione Be-
nificiorum, ubi sic legitur; *Non tamen intendit prohibere hac sancta
Synodus hoc præsentis Decreto, quo minus futuri Romani Pontifices tempore Pon-
tificatus sui modo honesto, & convenienti, de uno Beneficio ad collationem,
in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, &
ultra disponant. NEQUE ETIAM COLLATIONES PER PRÆ-
VENTIONEM FIENDAS INTENDIT IMPEDIRE.*

7. Quin etiam Universitas studii Parisiensis, quæ tantope-
rè Curiam Romanam à conferendis Beneficiis arcere contem-
debat; tamen Romani Pontificis circa illa potestatem sæpè
imploravit, nedum agnovit. Hic unus erat ex articulis Mar-
tino V. Eugenii Decessori porrectis; Item cum nonnulli Doctores,
& Magistri infra scripti à Sanctitate vestra gratias expectativas obtinuerint in pri-
mo & principali Rotulo dictæ Universitatis per Sanctitatem vestram sub data
4. Kalendas Februarii Anno primo signato, quibus vigore earundem gratiarum
de Beneficiis Ecclesiasticis minime provisum extitit, dignetur Sanctitas vestra
EISDEM CONCEDERE, quod dictis gratiis uti, & gaudere valeant cum
cum gratiis in præsentis Rotulo per Sanctitatem vestram ut speramus, faciendæ
satis tamen per integrè articulis superius expressis. Cui articulo Papa
respondit; FIAT PRO OMNIBVS, ET QVIBVS NON EST
PRO-

PROVISVM Datum Romæ anno 1424. 25. Maij, Pontificatus præfati Domini nostri Papa (Martini V.) anno septimo. Refertur in historia Universitatis Parisiensis tom. 5. circa prædictum annum 1424. Extant alia multa exempla similia apud eundem Autorem.

8. Verùm cum Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Franciæ Regem inita, ususque subsecutus contentionibus hac de re nasci solitis imposuisse finem videantur, non est diutiùs immorandum, sed expectandum, donec Deus eos, quibus Beneficiorum provisio incumbit, ad revocandam omni ex parte antiquam Canonicam disciplinam circa rectam illorum dispositionem moveat.

9. Si omnes Collatores, aut Patroni præ oculis semper haberent, quàm stricta sit obligatio ea dignioribus conferendi, non autem indignis, vel etiam minus dignis propinquis, aut à quibus aliquod receptum est, vel recipiendum speratur officium, quàmque terribile futurum sit supremi Patris familias iudicium adversus eos, qui in constituendis in ejus Domo Ministris & Officialibus, propria commoda, privatosque affectus magis attenderint, quàm ipsius gloriam, & cultus decorem, aut animarum salutem certè magis metuerent, ne non satis dignos, aptosque servos Domino suo eligerent, quàm gloriarentur de jure illo, aut illud indebitè sibi vindicare contenderent.

10. Cæterùm non est cur Galli Doctores Italicos accusent, quasi nimium extulerint Romani Pontificis circa dispensationem Beneficiorum potestatem, cum Doctores Galliæ non minus latè illam explicuerint. Petrus Rebuffus in Concordatis tit. de Mandatis Apostol. §. Et ut obvietur verb. *gravare*, scripsit. *Papa jure præventionis OMNIA IVRA POTEST CONFERRE, cum TOTVS MVNDVS sit Diæcesis Papa cap. Cuncta per Mundum. Et cap. Per principalem 9. quæst. 3. Unde non est mirum si in sua Diæcesi, & sic PER TOTVM MVNDVM conferre possit.*